

Ut verò trachea est canalis aëris; sic œsophagus cibi & potus. Vnde dicitur fistula cibaria protensa ab ore ad ventriculum, duabus constans membranis, venis, nervis, arteriis, & duobus musculis degluttoni seruientibus. Hæc de media regione satis.

Libelli posterioris caput tertium.

De suprema humani corporis regione, scilicet Capite.

Tota illa pars corporis, quæ in editissimo loco sita est, & à summo vertice ad primam colli vertebram extensa, intelligentiæ & rationis sedes, motus sensusque principium, caput nominatur. Quod ideo rotundum est, quòd sit capacius & firmitus; ita tamen ut aliquatenus oblongum, & ad latera sit compressum, atque etiam utrinque protuberans, verticibusque geminis extumescens. Debit enim esse oblongum, ut cerebrum & cerebellum, quæ figuram oblongam suo situ reddunt, commodius retineret. Item protuberans, anteriori quidem parte, propter carunculas mammillares, quæ sunt organa odoratus; posteriori autem, propter exortum medullæ spinalis,

Caput duas partes habet; Capillatam vnam, quæ dicitur caluaria, pilis tecta, à fuliginosis excrementis tertix coctionis nascentibus: Græcis *σελεχων*, vel *κεχροιοι*: Glabram siue depilem alteram, quæ dicitur facies, Græcis *ωροσωτον*. Et caluariæ quidem ambitus ac circumferentia vocatur corona; pars anterior, sinciput; posterior, occiput; media, vertex: lateralia, tempora.

Est alia diuisio caluariæ in partes continentes & contentas. De continentibus communibus hic tantum notare oportet, non esse ibi adipem, nisi circa occiput.

Continentes propriæ sunt octo ossa cranii: Vbi sunt suturæ tres. Coronaria, quæ os frontis distinguit à sincipite; lambdoidea, quæ sinciput ab occipite. sed lambdoidea aliquando cernitur duplex; cum scilicet ossiculum triquetrum, triangulare quibusdam dictum, in medio continet; quod ossiculum contra Epilepsiam à nonnullis commendatur: & sagittalis, quæ à lambdoide ad coronariam ducta, diuidit ossa sincipitis. Vfus suturarum est, ut sint spiracula cerebri, ad excretionem vaporum fumidorum.

Partes etiam continentes propriæ, sunt Pericranium, & duæ meninges, dura scilicet & tenuis: quæ sunt duo cerebri integumenta, folia sicut à similitudine appellata.

Tom. II.

Pericranium.

Est membrana densa & firma, ex crassa meninge orta, ut sit caluariæ inuolucrum, ac munimentum. Dicitur communiori nomine *περικρανιον*: sed non tam proprie.

Meninx dura.

Est membrana fortis & crassa, omni ex parte duplex, cerebrum & spinalem medullam inuoluens, multis peruia foraminibus, ad vasorum transmissionem. Reduplicatur ad verticem capitis; ut separet cerebrum in dextrum & sinistrum: quæ reduplicatio vocatur falx à figura: in posteriori autem parte, vbi cerebrum à cerebello distinguit, quadruplicatur. Sed inter illas duplicaturas sunt sinus quatuor vasorum vicarii: quia sanguinem & spiritum effundunt in cerebri substantiam.

Quod facit Peritonæum in imo ventre, Pleura in thorace; hoc in capite præstat dura Meninx: quam Arabes vocant duram matrem, ob firmitatem & crassitiem.

Meninx tenuis.

Est membrana priore mollior ac peruenis, cerebrum immediatè inuoluens, ipsique duræ meningi supposita, pia mater Arabibus appellata.

De Partibus contentis.

EÆ sunt Cerebrum & Cerebellum, vnde exit medulla spinalis & nerui.

Cerebrum

Est pars corporis præstācissima, & principium princeps, frigida, humida, crani cavitare conclusa, figuræ pene orbicularis, neruorum origo, substantia constans molli, albicante, medullari, minimè pingui, sensus motusque spontanei principium, ipsa tamen sensus experta, diastole & systole continenter agitata, ad spiritus animalis elaborationem.

Motus cerebri proprius non est voluntarius, sed naturalis & necessarius, ut motus cordis. Cerebrum enim diastolè suam aut systolè cohibere nequit. In diastole autem dum distenditur, eiusque ventriculi & sinus dilatantur, trahit ex plexu mirabili spiritum vitalem, & è naribus aërem; vtrumque ut materiã spiritus animalis, qui generatur in superioribus cerebri ventriculis. At in systole, quando contrahitur, simulque eius ventriculi, præsertim anteriores, coarctantur, spiritum animale è superioribus ventriculis, in tertium & quartum inferiores; itemque

*Diastole
& systole
cerebri.*

*Spiritus
animalis
fit in ventriculis
cerebri.*

Est enim apoplexia obstructio ventriculorum cerebri cum privatione sensus & motus, & rationis.

in organa sensuum ac nervos profundis, ut fiat sensus & motus animalis. Cum enim humore nimio obstruuntur omnes ventriculi cerebri, ut in apoplexiâ, perit sensus & motus omnis.

Nomen cerebri duobus modis sumitur. Primò, latè; & sic comprehendit cerebellum, dividiturque in anteriorem partem, quæ amplissima est; & posteriorem, quæ longè minor, diciturque cerebellum. Secundò, strictè, pro sola anteriori parte, quæ ob amplitudinem retinuit nomen totius. Huius ergo parenchyma est substantia medullosa in exteriori superficie subcineritia, & ne vasa assiduo motu rumpantur, orbicularibus anfractibus sinuata.

Cerebri superiores ventriculi duo.

Carnem hanc cerebralem si ad trium circiter digitorum crassitiem secueris, statim apparebit pars durior & candidior, siue corpus callosum, σπῆμα τοῦ ὠδὸς Græcis dictum, cuius portione detractâ, apparent duæ cavitates, siue ventriculi duo superiores, dexter & sinister, quos membrana tenuis & pellucida distinguit, inde dicta septum lucidum. Horum ventriculorum vsus, est inchoatio spirituum animalium, eorumque præparatio; item inspiratio & expiratio cerebri, odorumque susceptio.

μαρμαρα χορδοειδῆ.

Ad quod etiam conferunt plexus choroïdes siue reticulares, in illis ventriculis siti: qui nihil aliud sunt, quàm venularum & arteriolarum textus labyrinthi, per tenuis membranæ sursum ascendentis portiunculam excurrentes; in quibus etiam spiritus animalis excoquitur atque præparatur.

Tertius ventriculus cerebri.

Processus autem mammillares duo ab ima parte superiorum ventriculorum ducuntur ad os ethmoides, siue cribriforme narium: & per hanc viam feruntur odores cum aère ad cerebrum: fluitque ex eodem osse mucosa eluies in nares, sicque cerebrum repurgatur.

Post duos superiores ventriculos, cernitur sinus duplex bombycis vermiculi effigiem reddens; qui videtur esse portio quædam superiorum ventriculorum: & statim apparet tertius ventriculus cerebri sub fornice siue corpore camerato, quod dicitur Græcis ἰσμοειδῆς, qui quidem ventriculus est concursus & cavitas communis duorum superiorum.

Infundibulum cerebri.

Hinc exeunt ductus duo, quorum vnus ad cerebri basim antrorsum descendit, per portiunculam tenuis membranæ, quæ primò latior, tum angustior infundibuli figuram refert, diciturque Græcis χορδῆ; per quam viam transcolatur pituita in cerebro genita: quam glans pituitaria excipit, & per ossis sphenoidis siue cunei foramina, in palatum pedetentim instillat.

Ad latera ἀποφύσσει κλιθεῖσθαι, apparet rete Galeni mirabile, licet malint alii plexum choroidem, qui in ventriculis superioribus conspicitur, Rete mirabile appellare.

Alter ductus est via à tertio ventriculo ad quartum. Vbi variæ videntur particule, ut glandula turbinata pineæ nuci similis, quam vocant Græci κινάειος, cui vtrinque contigua sunt corpuscula rotunda & duriuscula, γλυπὰ dicta, id est, nates, sub quibus ὄρχις, id est, testiculi, apparent, quorum vsus est, spiritum animale in quartum ventriculum cerebri tutò deuehere.

Quartus tandem occurrit ventriculus cerebello & spinali medullæ communis, omnium minimus, sed solidissimus, qui quoniam ex ampliore fit strictior instar calami scriptorii, nominatus fuit ab Herophilo calamus.

Quartus ventriculus.

Cerebellum.

Est paruum cerebrum decuplo minus ipso cerebro, cui inferiore parte continuum est, vtraque meninge tectum, in occipitio situm, substantia constans duriore, crassiore, coloris subcineritii, figuræ globi latioris, cuius mediæ partes vocantur processus vermiformes, ὀπίφυσες σκαλωσθεῖς, à figura: quorum alter, anterior, meatum à tertio ad quartum ventriculum retinet apertum; alter posteriori parti spinalis medullæ ineumbit, & reflectitur versus quartum ventriculum, quem seruat apertum.

παιεγνη φάλος.

Cerebelli vsus est, seruare spiritum animale à cerebro missum, & spinali medullæ adaptare.

Medulla spinalis.

Est substantia mollis è cerebro & cerebello exorta, vertebrarum sepimentis clausa, tenui ac dura meninge, tertiaque membrana, quæ à ligamento anteriorum vertebrarum nascitur, circumtecta, duriorum nervorum, qui motui inseruiunt, origo; & eiusdem fere dignitatis & naturæ cum cerebro, nisi quòd substantia constet duriore, & longiuscula. Hinc enim vocatur cerebrum oblongatum.

De nervis postea.

De Facie.

Hætenus caluariæ partes, tam continentis quàm contentas descripsi, nunc facies humana altera capitis pars occurrit inspicienda eò attentius, quòd soli homini vera facies insit, quæ ideo animi imago & speculû solet cognominari. Quippe in superciliis grauitas, in genis pudor, in mento maiestas, in fronte sapientia,

ὡρῶσθαι.

in oculis splendor & gratia, in vultu pulchritudo & honestas sedem habent. Vna facies oculos omnium commouet & allicit: hæc prima visum percellit, prima placet, hac sola supplices sumus, hilares, tristes, erecti, vigiles, audaces, modesti: hæc denique sexum, ætatem, temperiem; imo familiam & gentem prodit & indicat.

Eius partes sunt duæ, superior & inferior. Illa Græcis dicitur μέτωπος, Latinis frons: cuius extremitates hirsutæ, Supercilia vocantur. Hæc varias habet particulas, nempe palpebras, oculos, nares, aures, genas, labia, os, mentum.

Diuiditur aliter facies, in partes continententes, vel communes, vel proprias, vt sunt ossa & musculi: & contentas, quæ sunt quatuor organa sensuum, scilicet oculi, nares, aures, lingua.

Oculi.

Sunt organa visus miro naturæ artificio fabricata, propter insignes eorum vsus; nempe vt pulchra & vtilia persequamur, noxia deuitemus, & mundi pulchritudinem contemplemur.

Oculos natura in parte editiori, antrisque ossis collocavit, vt liberiùs viderent, & tanquam è specula; atque vt essent securiores: imò verò partes plurimas, quasi propugnacula circumposuit. Etenim supra posuit os frontis & supercilia: Infra, os superioris maxillæ, zygoma & nares: antrorsum verò palpebras, quæ sunt partes cutaneæ, cartilagineæ, è pericranio ortæ, musculis tribus constantes, quorum duo claudunt, tertius aperit. Est verò palpebra inferior immobilis: nam sola superior mouetur. Earum extrema dicuntur cilia, quibus infiguntur pili, dirigendo visui seruietes.

Ad orbitam oculorum duo sunt anguli; minor vnus, qui ad tempora vergit, & exterior canthus nominatur; maior alter, qui ad nares, diciturque canthus internus. In hoc caruncula est, lacrymalis dicta, humorem continens, oculo lubricando aptum, & foramen ossis nasi, per quod ipsius oculi excrementa in nasum distillant, operiens.

Oculum ipsum constituunt adeps, musculi, vasa, tuniæ, & humores.

Adeps replet spatia inania musculorum & neruorum, ne oculi exiccentur, & vt facile moueantur.

Musculi sunt sex: quia oculi sex motibus cientur, quatuor rectis, & duobus circularibus. Primus vocatur superbus siue attollens, quia oculum eleuat, in superiori parte situs. Secundus, humilis siue depressens, quia deprimat oculum, in parte inferiore situs. Tertius, adducens siue bibito-

rius; quartus abducens siue indignatorius: quorum vterque oculum mouet ad latera; ille quidem ad maiorem canthum adducendo, vt fit inter bibendum; hic abducendo ad externum, vt fit in indignatione & iracundo contemptu. Quintus & sextus, obliqui, circulares, amatorii, quod sint velut in amore duces.

Vasa sunt, venæ oculos nutrientes, ortæ à iugularibus; arteriæ à carotidibus spiritum vitalem portantes, per musculos, pinguedinem & membranas: denique nerui visorii ac motorii,

Tuniæ oculorum sunt sex. Prima à pericranio orta dicitur Græcis, ὀπιθηκοῦς, Latinis, *adnata & coniunctiua*, vulgò album oculorum; cuius ope continentur oculi, & vicinis partibus alligantur.

Sex oculi
membrana.

Secunda, dicitur Græcis κερατοειδής, καὶ σκληροειδής, Latinis *cornea* vel *dura*, à crassa meninge orta, instar cornu cuiusdam derasi polita & pellucida, vt species visibiles ab obiectis emissæ commodè recipiantur. Est verò durior, vt crystallinum humorem & tenuiores tunicas defendat ab externis iniuriis.

Tertia dicitur Græcis μεμβρανώδης, Latinis *vuea*, quòd similis sit vuae acino, siue folliculo à quo auulsus est pedunculus. Hæc à tenui membrana orta totum oculum cingit excepta parte anteriore; vbi ad Iridis principium reduplicata, efformat pupillam, quæ ἰρις dicitur Græcis, estque in hominibus rotunda, in quibusdam animalibus oblonga, ideo perforata, vt sit acceptis simulacris transitus: est verò nigra ad spirituum dissipatorum collectionem, interiùs multicolor, vt humor crystallinus hac tunica quasi speculo recreetur. Hic enim cernitur oculorum Iris siue circulus, vario colore distinctus, maximè in homine, cui soli variant oculi.

Iris oculi.

Quarta dicitur ἀραχνοειδής, siue *aranea*, quòd aranearum telam sua tenuitate referat, sitque tenuis & lucida, vt crystallinum humorem tegat stabiliatque commodiùs: vbi est ligamentum ciliare dictum, quo iungitur vueæ.

Quinta, ἀμφιβληστροειδής, siue *reticularis*, arterioli & venulis referta, à retis figura sic dicta, ex nerui optici substantia medullari dilatata emergens, mollis, alba, & aliquatenus rubescens, visiles spiritus per vniuersum oculum diffundens, & rerum visarum spectra deferens ad cerebrum; vitreumque humorem, instar reticuli, ambiens & nutriens.

Sexta, ὑαλοειδής, siue *vitrea*, quòd humorem vitreum omni ex parte ambiat; in cuius medio est interstitium ciliare dictum, quòd cili figuram referat.

Oculi humoris
plex.

Humores oculorum sunt tres. Primus dicitur *δακρυδης*, siue *αειδης*, id est, *aquens* & *albugineus*, quod tenuitate & puritate sua fluxilem aquam referat, vel albumen oui. Implet hic humor spatium inter anteriorem crystallini humoris partem & corneam, ut hæc perpetuo distendatur; ea enim corrugata visus deprauaretur. Eius usus est, humorem crystallinum tueri à duritie membranarum; & lumen confertim occurrens, tanquam medium, refringere.

Secundus dicitur *κρυσταλλοειδης*, id est, *glacialis*, siue crystallinus, quod referat glaciem concretam, & crystalli modo sit pellucidus. Hic humor situs est in centro oculi, adeo clarus, splendens, perfectusque, ut eius gratia oculus constructus videatur: ideoque dici solet oculi ocellus: nempe quia in eo, ut in principe organo, residet visus. Est autem densus & mediocriter durus, ut in eo hæreant species visibiles; vel, ut volunt Optici, radii visuales. Depressus est parte anteriori, quâ pupillam spectat; posteriori, quâ vitreo humori innatat, rotundus.

Tertius, dicitur *υαλοειδης*, siue *vitreus*, crassitie & consistentia, vitro fuso; colore & pelluciditate, vitro densato & refrigerato similis; in posteriori parte situs, ut crystallinum excipiat, nutriat, conseruet, spiritusque visorios contineat, ne cito effluant; quibus scilicet crystallinus illuminatur. Sic habet oculorum fabrica admirabilis.

Nasus

VNus est externus, qui constat tribus ossibus, quinque cartilaginibus, quatuor musculis, venulis & neruulis, membrana & cute, fenestris siue foraminibus duobus, nempe naribus.

Internus alter, qui constat osse ethmoide instar cribri perforato, itemque processibus siue carunculis mamillaribus, in quibus residet olfactus.

Nasi usus est odorari, deferre odores & aërem ad cerebrum, & pulmones, & repurgare mucosam eluuiem è cerebro stilantem.

Aures.

Sunt organa auditus in editiore loco posita ad utrumque capitis latus, & in eadem linea cum oculis; quia nempe excipiunt sonos, qui in altum feruntur.

Aures vel externæ dicuntur, quæ propriè sunt auriculæ: vel internæ, quæ propriè aures. Externarum substantia cartilaginea est, figura partem semicircularis, cum interiori cavitata; musculi tres. Cavitata verò ad meatum auditorium dicitur aluearium. Pars superior auriculæ dicitur ala siue pin-

na; inferior vocatur lobus, memoriz facer, *κατα το καμυβαιν*, à capiendo, quod apprehendamus hanc particulam aures vellicando. Circumductio auriculæ vocatur *επιξ*, siue implicatio: pars opposita *αυθελιξ*. Concauum interius dicitur conchula, *κοχη*, vel *κοχιον*.

Internæ sitæ sunt in osse petroso inter processus mastoïdes, & apophysim zygomaticis, constituunturque ex quatuor meatibus: quorum primus dicitur *μερος ακουστικος*, *meatus auditorius*, semper patens: quia semper egemus auditu, ut caueamus; rotundus, angustus, oblique sursum tendens; in cuius fine est septum membranosum, quod vocant tympanum, quia est membrana tympani modo tensa, à dura meninge ortas, quæ si crassior est & densior, surditas contingit insanabilis: si madeat humore, fit auditus grauis & tardus.

*Secundus meatus dicitur cochlea; siue peluis, aërem innatum & immobilem (in quo, ut constat ex libris supra expositis, vult Aristoteles residere Auditum,) continens. Hic sunt tria ossicula, malleolus, incus, stapes; sic à figura nominata: exilis etiam chordula tympano attensa, per quam ossicula tympano alligantur. Malleolus suo processu appendet membranæ; suo autem tubere incumbit cavitati incudis. Incus autem similis est denti molari, nititurque duobus cruribus, quorum breuiore affirmatur tympano, longiore stapidi.

Stapes basi sua latiuscula fenestræ ovali immerfus summo & acuto apice incudis medium tuberculum excipit: sunt enim foramina siue fenestellæ duæ exiguæ: quarum superior dicitur ovalis, inferior caret nomine. Earum usus est deferre sonos; ut ossiculorum, excipere. Stapes enim superiorem fenestram claudens, mouetur ab incude; incus à malleo; malleus à tympano; Tympanum ab aëre externo, sonum in aurem vehente.

In cochleâ etiam videtur canalis cartilagineus in palatum vergens, ad expurgationem auris. In eo valuula est impediens recursum excrementi in aurem. Hinc miram sympathiam aurium & vocalium organorum, palati, linguæ, laryngis: nam surdastri omnes ægrè loquuntur; ac per nares vocem edunt. Item qui à prima conformatione surdi sunt, iidem sunt muti.

Tertius meatus vocatur labyrinthus, quod constet multis anfractibus, quibus sonus fit acutus meliusque continetur.

Quartus dicitur foramen cæcum.

Tum apparet neruus auditorius à quinta coniugatione ortus, nonnullis organum auditus, licet aliter sentiat Aristoteles, qui aërem innatum putat esse organum auditus: ut notavi libro secundo de anima, &

κατα το
παιου
μα, το
ουδ.

Surditatis
causa.

Tria auri
ossicula.

272.

libro de sensu & sensibili. Peruntur ergo soni per hunc neruum ad cerebrum & sensum communem.

Ponè aures sunt glandulæ parotides dictæ, emunctoria cerebri: quia in eas partes sese cerebrum exonerat, vt hepar in inguina, cor in axillas.

Genæ, labia, mentum, maxille.

Singulæ genæ duas habent partes; superiorem, quæ dicitur *μῆλας*, id est, *Pomium*: quia instar pomi rubet, rotundaque est, vt pote pudoris & erubescentiæ sedes: inferiorem, quæ latior est, diciturque *γιάδος*, Latinis *Bucca*.

Locus sub naribus, vbi primulùm tenera lanugo erumpit, vocatur *μύσταξ*, inde nomen Gallicum *Moustache*, *ἀπὸ τοῦ μύκω τῆς*, id est à mucco narium, per hanc partem distillante.

Sulculus valleculæ similis dicitur *φίλη*, quasi dicas amoris illecebras.

Labia sunt musculosæ oris extremitates, ipsum os claudentes & aperientes, *χίλια* vocant Græci, *ἀπὸ τοῦ χέειν*, id est, *fundere*: quia saliuam fundunt & sermones.

Mentum, *γένιον*, Græcis, est pars inferioris labri in acutum desinens, in qua barba virorum nascitur ex fuliginoso vapore cutis spiracula permeante, ibique densato, ad nobilioris sexus ornamentum. Quoddam quædam mulieres barbæ sunt, præter communem naturæ legem, præterque muliebris sexus conditionem, hoc contingit: vnde vocantur hæ mulieres viragines, quia viros agere videntur, & eorum vt barbam sic mores imitari.

Maxillæ duæ sunt; superior, in omnibus animalibus immobilis, excepto Crocodilo & Pſittaco; inferior mobilis, sursum, deorsum, & ad latera propter masticationem. Vnde pluribus musculis instructa est. De ossibus maxillarum dixi in Osteologia.

Os.

Est Rima; siue foramen in facie conspicuum, labiorum diuisione efformatum, quo excipitur primò atque masticatur alimentum, opera dentium. Inferuit etiam os respirationi, præsertim naribus obturatis: item voci, vomitioni, exspuitioni.

Dentes.

Sunt ossa sui generis omnium durissima & solidissima, maxillis duabus per *το φωνήν*, infixa, venulis & arterioliis eorum cavitatem subeuntibus instructa, sanguine nutrita, perpetuò (quod ipsorum proprium est) crescentia, quòd quotidiana attri-

Tom. II.

tione minuantur; sensu exquisito ob neruulos exiles & membranulas tenuiores ipsorum cavitatem ingredientibus, prædita: vocis formandæ & comminuendi cibi instrumenta.

De dentium numero, differentiis & articulatione, dixi in Osteologia.

Gingiuæ.

Sunt carnes immobiles, quibus dentes suis alueolis affirmantur. *πῦλα.*

Palatum

Est pars superior oris, Græcè *ὀυρανός*, quasi cælum, ex osse duro ac denso facta, duo habens foramina, quibus cerebrum repurgatur, crassa & carnosâ tunica à dura matre oriunda constans. *ὀυρανός.*

Gurgulio siue gula.

Est fungosa caruncula à palato propendens in os, iuxta narium meatus; cuius vsus est aërem repercutere, vocem iuuare, aërem inspiratum temperare, ne subito ingressu pulmones lædat. *γαργαρούρι.*

Fauces.

Partem oris posteriorem & inferiorem, linguæque communem, vocant Græci *φάρυγγα*, Latini *Fauces*, eam nempe capacitatem, quæ hianti ore percipitur, & ab angustia dicitur *ἰδιώσις*: vnde *παιδίδια* quæ vocantur alio nomine amygdalæ siue tonsillæ, de quibus suprâ.

Lingua.

Est organum Gustus & Locutionis, constans carne molli, rata, laxa, spongiosa, volubili, per lineam mediam distincta, & sensoriiis motoriiisque neruis instructa, duabus venis, quas vocant raninas, toridem arteriis munita, cum musculis decem & ligamento fortissimo, cuius extremitati adnascitur funiculus, quem linguæ frenulum appellant, ne lingua plus æquo in loquacitatem soluat. *γλώσση.*

Basi linguæ subiacet os hyoides linguæ sustentaculum. Perfectissimam linguam vnus inter cætera animalia Homo obtinuit, nempe mollem & latam. Serpentum enim lingua tenuis est, trifurca, vibrans, prælonga; lacertorum, bifida & pilosa: vitulorum marinarum duplex, piscium tota adhærens, leonum & pardorum limata, id est, limæ similis. Ratio est, quia solus homo loquitur & pronuntiat. Hinc aues *πικτύλωσσαι*, quæ scilicet linguam latiore habent, vt pſittaci, merulæ, humanam loquelam vt cumque imitantur.

Vsus linguæ est, percipere sapes, præ-

o iij

fertim in extremitate seu cuspide sua : vigent enim sensus in extremitatibus, maxime tactus & gustus. Item distinctè & articulatè loquiae pronuntiare.

*Libelli posterioris caput quartum.
De Artibus.*

Artus sunt membra è corpore, vt rami è stipite, explanata.

Artus alii sunt superiores, nempe manus; alii inferiores, nempe pedes: de quibus pauca hic sunt explicanda: eo quòd præcipuas eorum partes, nempe ossa, itemque articulationes supra recensuerimus in Osteologia.

*De Artibus superioribus siue
Manibus.*

Manus ampliore significato, est pars dissimularis, longa, fortis, valida, tota ad motum liberum comparata, pluribusque ideo musculis & cartilaginibus instructa, & per varias diarthroses articulata.

Eias tres sunt partes, Brachium, Cubitus, cui radius annumeratur; & extrema manus.

Brachium, cuius caput amplius lato ossi scapulæ, siue omoplatæ inseritur, diciturque *ἀκράμιον*; mouetur, sursum quidem per musculos, deltoidem & supra spinatum; deorsum, per latissimum & rotundum maiorem; antorsum, per pectoralem; retrorsum, per infra spinatum, rotundum minorem, subscapularem; circulariter, ab omnibus simul.

Scapula mouetur, sursum quidem opera musculi circularis, & leuatoris proprii; deorsum, trapezii & latissimi portionibus; antorsum, ferrati minoris; retrorsum, rhomboidis. Cavitas sub humeri articulo vocatur axilla, siue ala: quia ibi nascuntur pili, quasi pennæ.

Cubitus est secunda pars manus, inter brachium & extremam manum media, cui proximus est radius. Cubitum flectunt musculi duo, biceps & brachieus; extendunt totidem, longus & breuis. Radii autem proprius motus est pronare manum, & eam supinare. Hinc quatuor eius musculi, duo supinatores, duo pronatores.

Manus extrema est organum apprehensuum, quo omnia capimus & prehendimus. In eius extremitate sicut sunt ungues ad facilius capiendum, firmitus continendum, digitos muniendos.

Extrema manus diuiditur in carpum siue Rosetam vel brachiale, quæ pars constat ossiculis octo, duplici ordine distinctis. Carpum autem flectunt duo musculi inter-

ni, extendunt duo externi:

In metacarpium quatuor ossiculis compositum: cuius pars interna cum exporrigitur, palma vocatur, cum curuatur, vola manus; in qua cernuntur lineæ & prominentiores siue carnosiores partes, (monticulos vocant Chiromantici,) ex quarum aspectu mira pollicentur, sed sine fundamento. Externa autem pars metacarpium vocatur manus auersa. In spatiis metacarpium latent sex musculi, tres interni, & tres externi, digitos abducentes.

Denique in digitos, numero quinque, & inæquales, vt esset apprehensio perfectior, & figuræ omnes digitis comprehenderentur. Primus dicitur pollex: quòd robore polleat. est enim digitorum fortissimus; vnde polletrunci, Gallicè, *Poltrons*, quasi pollice truncati, dicuntur ignaui & pusillanimes. Habet verò pollex duo tantum internodia; sed quia peculiare quidpiam habet in motu suo, ideo peculiare habet musculos; est enim vnus flectens; extendentes duo; adducentes tres; abducentes totidem.

Secundus dicitur index, quia per ipsum res & personas indicamus.

Tertius medius, qui & infamis vocatur: fortè quia hoc extenso rident alii alios, vel infamia notant.

Quartus medicus, quia eo veteres pharmaca miscebant. Dicitur & annularis quòd eo gestentur annuli.

Quintus dicitur minimus, itemque auricularis, quoniam aurium sordes eo purgantur.

Quatuor hos digitos flectunt tres musculi, palmaris, sublimis, rotundus; extendit tensor vnus quadripartitus; adducent quatuor parui vermiculares; abducent sex interossei siue metacarpium; sed minimo digito tribuuntur peculiare musculi tres, vel quatuor, pro alia aliorum distinctione.

Vasa manus, neruos scilicet, arterias & venas postea recensebo.

*De inferioribus Artibus, scilicet
Pedibus.*

Pes est pars dissimularis, ossibus multis, ligamentis, cartilaginibus, membranis, musculis, venis & neruis constans, ab ischii & coxendicis articulo, ad vngues vsque protensa, vt sit stantis corporis administrandum & ambulandi instrumentum.

Diuiditur in femur, & tibiæ, & extremum pedem.

Femur, sic dictum quia eo ferimur, flectunt duo musculi; Psoas, Iliacus; extendunt tres, maior, medius, & minimus; qui nates componunt. Adducent intro tres, vel vnus sed triceps. Circumagunt foras

sex, nempe quatuor quadrigemi, & duo obturatores. Tibiam flectunt quatuor musculi postici; extendunt quatuor, Rectus vnus, vasti duo, & vnus crureus: adducunt intro duo, longus & popliteus; abducit vnus, fascia lata vocatus.

Pedem flectunt duo, tibieus anticus & peroneus; extendunt quatuor, scilicet duo Gemelli, Soleus & plantaris.

Quatuor digitos flectunt musculi duo, maior & minor; extendunt totidem; adducunt quatuor vermiculares, abducunt octo interossei siue metapedii, pollicem denique flectit musculus vnus, extendit alter, adducit tertius, quartus abducit. Sed & minimus digitus peculiarem musculum habet à calce exortum, eumque abductioni inferuentem.

Ossa pedum recensui in Osteologia.

Scire hic oportet in parte superiore ossis femoris siue cruris tres esse apophyses, nempe caput femoris, quod in profundam ischii cavitatem inseritur; & Trochanteres duos qui ex inferiore cervicis parte, vt nodi è tabula educuntur, *ἀπὸ τῆς ἐπιπέδου*, à *Currendo*, quod motus femoris, cursusque per musculos his apophysis insertos, perficiantur: atque eorum quidem alter externus est, magnus rotator dictus, alter minor.

Pars interior articulationis femoris cum tibia, dicitur genu, posterior poples, quia postplicatur. Cernitur ad genu, *ἐπιγονάτις*, siue rotula mirè iuuans articulationem femoris cum tibia. Pars antica tibiæ dicitur *ἀντικνήμιον*, anticibiale, estque excarnis, postica quæ pulposa est, vocatur *ὑποκνήμιον*, siue sura, exterior pars *ἐξωτερικόν*, interior, *ἐσωτερικόν*, ipsa autem tibia *κνήμη*. Appendix prominens & gibba, quæ cernitur in extremo inferioris tibiæ, dicitur, *ἄστυον*, id est, malleolus, internus: nam processus inferioris siue perones, ossis tibiæ vicini, est malleolus externus.

Pes extremus, verum gradiendi instrumentum, tres habet partes, pedium, metapedium, & digitos.

Pars pedii rotunda & postrema dicitur *ἄστυον*, calx infima, qua terram calcamus, *ἰχθυήματα*, calcaneum.

Metapedii pars inferior dicitur planta pedis, Græcè, *πλάτα*; superior, *πέδιον*, pedus.

Denique digiti sunt quinque, per ginglymum articulati, propriis nominibus carentes, & ossicula sesamoidea suis internodiis adiuncta habentes, ad firmiorem articulationem,

In fabrica artuum mirabile est, quod natura carne multa extremam manum, extremumque pedem non onerauerit, sed potius firmauerit tēdonibus validis. Opor-

tebat enim leues esse & expeditas partes istas, vt ad motum essent promptiores: cum caro plurima, adepsque copiosus onerari sit, motusque facilitatem ac celeritatem impediatur.

Appendix ad librum posteriorem Anthologiae anatomicæ.

De vasorum humani corporis distributione.

Vasorum humani corporis descriptionem vocant Anatomici *ἀνατομικὴν*. vas enim Græci appellant *ἄρτηρα*. Sunt autem *ἢ ἀρτηρία* vasa trium generum, venæ, arteriæ, nervi, *νεῦρα*, sic dicta quod ex iis tanquam riuis, defluant in omnes corporis partes, sanguis, calor, spiritus, vita, nutritio, motus & sensus. Vnde vt tres sunt principes partes hepar, cor, cerebrum: sic vasa totidem. Vena enim ab hepate ortum habet, eique deferuit, ad sanguinem & spiritum naturalem deferendum: arteria à corde emergit, eique famulatur ad spiritus vitalis distributionem: nervus à cerebro prodit, eique ministrat, vt animale spiritum in vniuersum corpus transmittat. Restat ergo ad nostræ Anthologiae integritatem, vt de omnibus istis vasis, eorumque serie ac propaginibus compendiosè dicamus; & eo attentius, quod Aristoteles in hac vasorum doctrina errauerit; quippe qui (vt ex locis suprâ obseruatis constat) venarum, arteriarum, & neruorum vnicum fecerit principium, nempe cor. Quem errorem vix excusare quisquam potest, cum *ἀνωψία*, id est, partium corporis inspectio, eum manifestè refuteret.

Phlebographia siue descriptio venarum omnium.

Anatomicis principium est duplex, *ἡ γενεὰ* Generationis siue originis vnum: *ἡ ἀρχὴ* Radicationis siue dispēstationis alterum. Priore modo Semen est principium non modò *ἢ ἀρχὴ* venarum, sed neruorum, arteriarum, ossium, & partium omnium spermaticarum, vt sanguis omnium carnosarum. Posteriore hepar dicitur principium venarum, cor arteriarum, cerebrum neruorum: quia vasa hæc omnia sic dependent à principibus illis partibus, vt hæc illorum videantur esse radices; vel potius quia radices vasorum infixæ sunt partibus principibus, quarum imperio ipsa vasa gubernantur, *ἢ ἀρχὴ*

Omnes igitur venæ suas habent in hepate radices, per duas maximas venas, portam & cauam: vnde in vniuers-

Venam
portam vo-
cat Ga-
lenus
πύλω ἀφ' ἧς
παί πύλας.

fum corpus admirabili propagatione disperguntur.

Porta enim sic dicta quod per eam quasi portam, chylus ad hepar deferatur, prægrandem truncum ostendens, è caua seu sima hepatis parte prodit, statimque de se mittit quatuor maiusculos furculos.

Cysticum, qui in Vesiculam fellis, quæ cystis vocatur, excurrit.

Gastricum, qui in ventriculum & pylorum fertur.

Gastrepiploicum, qui in fundum dextrum ventriculi & in epiploium.

Intestinalem, qui per duodeni longitudinem deriuatur.

Deinde ex eodem toto trunco emergunt duo rami insignes, splenicus & mesentericus. Ille in lienem fertur, hic in mesenterium, & intestina.

Splenicus secundum loca in quæ disseminatur, dicitur gastricus, epiploicus dexter, coronarius stomachicus, epiploicus posterior. Quod reliquum est illius, id omne in lienis substantiam spargitur. A summo tamen prope lienem ramo furculus in ventriculi latus sinistrum fertur, quod vas breue aut venosum vocant; quo succus melancholicus acidus in ventriculi fundum & os effunditur, vt excitet appetentiam.

Ramus mesentericus tres habet præcipuos furculos.

Primus hæmorrhoidalis est, ad anum & podicem vsque prorepens, per coli extrema, & rectum intestinum. Hunc furculum natura creauit, vt sanguinem melancholicum excerneret, per internas & occultas hæmorrhoidas: quando non potest ob splenis obstructionem expurgari. Est enim alius quispiam ramus venæ cauæ descendens, hypogastricus dictus, qui hæmorrhoidas externas facit.

Secundus est cæcalis, qui fertur ad cæcum intestinum.

Tertius retinet nomen totius, diciturque mesentericus, infinitas venulas diffundens ad tunicas intestinorum per mesenterium, vt exugant chylum; & simul sanguinem in iccore elaboratum ad ipsorum nutritionem mirabiliter reuehant.

Vt autem venæ portæ radices per hepatis caua pluribus furculis disseminantur; sic prægrandis illius venæ, (quam Hippocrates lib. 2. Epidem. Iecorariam vocat, & Anatomici cauam, matremque omnium, excepta ymbilicali & porta,) radices, per eiusdem hepatis conuexa & gibba magis effunduntur, quæ omnes in vnum caudicem desinunt, qui venæ maioris vel cauæ truncus solet appellari.

Truncus igitur ille ab Hepate prodiens diuiditur in partem superiorem, quæ dici-

tur vena caua ascendens; & inferiorem, quæ est vena caua descendens: hæc arteriæ magnæ, cum qua arctissimè iungitur, accumbens, producit,

Primò venam adiposam, vtrunque vnam, quæ ad adipem & exteriorem renum membranam fertur.

Secundò emulgentem siue renalem, vtrunque vnam.

Tertiò spermaticam, vtrunque vnam, ita vt dextra à trunco venæ cauæ immediate oriatur, sinistra ab emulgente: vnde dextrum semen calidius & fecundius, sinistrum serosius & frigidius. Hinc aiunt mares à dextris & in dextris procreari; feminas à sinistris & in sinistris. Vocantur autem spermaticæ, quia materiam feminis, nempe sanguinem probè coctum deferunt ad testes; solos quidem in maribus; in feminis autem, ad testes & fundum uteri.

Quartò Lumbarem, quæ etiam multiplex est, ad lumborum vertebra, & spinalem medullam nutriendas.

Quintò, musculosam, ad musculos lumborum & ventris.

Deinde finditur caua vena descendens in duos ramos, quos vocant iliacos. Vterque ramus producit quatuor pares venas.

Sacram, quæ ad medullam ossis facri ducitur.

Hypogastricam, quæ hypogastrii partes alit.

Epigastricam, quæ peritonæum & musculos epigastrii præsertim rectos subit. In qua distributione dignum est obseruatum, Epigastricæ tenues furculos extremis mammaram, quæ mammariæ vocantur, occurrere. Hinc mammaram & uteri consensus.

Pudendam, quæ fertur ad virilia & muliebria.

Rami Iliaci extra infimum ventrem vtrunque delati, & in inguina cruraque descendentes, vocantur cruales; qui in plures furculos per femur, tibiã & extremum pedem numerosa ramorum serie propagantur. Hinc enim sex insignes venæ oriuntur, nempe Saphena, quæ desinit in malleolum; Ischias minor; Muscula; Poplitea, Suralis; & Ischias maior: quarum rami ad extremos vsque pedes feruntur.

Vena caua ascendens fertur ad iugulum indiuiso trunco; è quo quatuor venæ deriuantur.

Phrenica siue Diaphragmatica, excurrans per Diaphragma & Pericardium.

Coronaria, quæ cingit basim cordis, multosque ramusculos passim spargit in substantiam Cordis. Hic cernitur cauæ

Descriptio
venæ cauæ
descenden-
tis.

Mares à
dextris, fe-
minas à si-
nistris.

Vnde sym-
pathia
mamma-
rum &
uteri.

Descriptio
venæ cauæ
ascenden-
tis.

Vena caua
dicitur ab
Hippocra-
te,
ἡ πύλη τις
ab alijs,
κοίλη.

truncus perforans Pericardium, dextroque cordis ventriculo sese adiungens.

Azygos, (sic dicta quòd sociam non habeat, & in solo latere dextro reperitur,) octo furculis fruticatur, in dextram & sinistram partem abeuntibus; quibus inferiores octo costæ, & earum spatia nutriuntur. Intercoastalis, quæ nutrit superiores costas.

Postea truncus venæ cauæ diuiditur in duos ramos subclauios, sic dictos; quia sunt infra clauiculas & iugulum.

Rami subclauii in duas partes separantur: prior recondita est cavitare thoracis, è quâ exeunt quinque venæ; nimirum

Mammaria, quæ excurrit per sternum interius, & musculos mammarum, vsque ad vmbilicum; vbi fit *αιασιμωσις* illa cum Epigastricâ.

Thymica, quæ per thymum decurrit.

Capularis, quæ per Pericardium siue capsulam cordis.

Ceruicalis, quæ per ceruicem in cerebrum,

Muscula, quæ per musculos spinæ dorsalis, ceruicis, & summi thoracis.

Posterior pars rami subclauii, dicitur axillaris: quia fertur ad axillas, è qua exeunt.

Thoracica, vtriusque gemina; quarum vna in mammas & anteriores musculos thoracis; altera in posteriores deducitur.

Basilica, quæ etiam vocatur hepatica, ferturque per internam brachii partem.

Cephalica, quæ per externam.

Basilica autem vna profunda est, in brachio altiùs disseminata; altera subcutanea, per cutem excurrens; quæ in duos finditur ramos, quorum alter ad internam cubitum delatus, cum Cephalicæ ramo vnitur, vnde fit vena Mediana, quam Arabes nigram vocant: alter per internum brachii latus descendit, simulque riuulos spargit in vicinam cutem.

Cephalica verò sic dicta est, quòd in capitis affectibus secetur, sed ab aliis dicitur humeralis; quia fertur per humerum, producitque duos ramulos; quorum alter in internam cubitum obliquè delatus, cum basilicæ ramo constituit medianam: alter descendit per radium, & hinc obliquè excurrens ad carpum, totam fere externam manum irrigat, quæ vena Arabibus est Saluatella.

Ramus autem subclauius, vbi supra claues emerit, mutat nomen, diciturque superclauius: à quo due oriuntur venæ iugulares: quarum vna est externa, inter cutem & membranam carnosam sese extendens in vicinos musculos laryngis, ossis hyoidis, linguæ, labiorum, narium, frontis, gena-

rum, aurium: altera interna, quæ per latera ceruicis fertur ad cerebrum: missisque ramusculis in vicinas partes, tandem per cranii foramina in duræ meningis sinus ascendit: à quibus oritur venularum propago multiplex ad nutritionem membranarum & cerebri.

Arteriographia.

Sive descriptio omnium arteriarum.

NON errauit Aristoteles in ortu arteriarum; quas scilicet ex vno corde derivari, originemque ducere profiterur: reuera enim arteriæ à corde originem capiunt, vt omnes consententur, & ipsa docet inspectio seu dissectio.

Quippe è sinistro cordis specu prodentur duæ insignes arteriæ, venosa & aorta. de venosa dixi supra. Nunc restat dicendum de aorta, quæ est mater cæterarum.

Vbi ergo primùm aorta è corde profiliit, in ambitum siue basin cordis deducit arteriam coronariam, & mox truncus aortæ ab it in duos stipites, superiorem & inferiorem.

Superior vocatur magna arteria ascendens, quæ ad iugulum euecta, diuiditur in ramos Subclauios, & inæquales, dextrum ampliorem, & sinistram, minorem.

Ramus dexter subclauius, eodem fere modo diuiditur quo venalis, producitque

Intercoastalem superiorem, ad superiores costas:

Mammariam, ad sternum & mammas; cuius arteriæ riuuli quidam occurrunt totidem riuulis epigastricæ ascendens, paulò supra vmbilicum.

Musculam, ad ceruicis posticos musculos.

Ceruicalem, quæ per foramina transversorum ceruicis processuum ascendens; perforat duram meningem, quæ spinalem medullam tegit; & caluarie cavitatem ingressa, iungitur cum sua coniuge oppositi lateris, vnaque facta sub media cerebri basi repit, donec ad sellam ossis sphenoidis peruenerit; vbi bipartita, ab it in dextram & sinistram. Sed vtraque adhuc variè distribuitur per meninges cerebri, ascenditque ad superiores ventriculos, vbi rete mirabile contextit, cum portionibus carotidum.

Carotidem; quæ cum iugulari interna ascendit in cerebrum; in quod priusquam ingrediatur, furculos mittit ad laryngis & hyoidis musculos, vicinas glandes, mentum, labia, tempora, dentes, nares: deinde scandit in cerebrum, per propriam

*Cor omniū
iudicio est
arteriarū,
πικρῆς,
ἀπὸ τοῦ
σπυμῶν, ἢ
τῶν ἰσθμῶν.*

*Aorta est
mater aliarū
arteriarū.*

*Diuiditur
in duos
stipites.*

*Prior est
ascendens,
& multos
effundens
ramos,*

foramen, quod inter os sphenoides & os temporis situm est; ubi infinitas exilesque propagines in modum retis emittit; unde plexus mirabilis: mox altiùs conscendens, mittit arteriolas ad oculos & musculos temporum: tandemque in posteriora, superiora, lateralia cerebri porrecta implicatur in superioribus ventriculis, & cum ramulis cervicalis efformat plexum labyrinthicum.

Ramus sinister subclavius eodem modo distribuitur: nisi quòd carotidem non emittit, quæ à trunco oritur.

Sed ubi ramus subclavius peruenit ad axillas, dicitur axillaris, à quo

Thoracica, quæ in musculos anteriores & posteriores thoracis spargitur: &

Basilica; quæ vel profunda est, vel subcutanea, multos effundens riuulos; quorum vnus in carpo est conspicuus, ubi pulsum explorant medici, ægros inuisentes.

Descriptio
Arteria
descenden-
tis.

Stipes inferior aortæ, vocatur Arteria magna descendens, producitque primò

Arteriam intercostalem inferiorem, quæ venæ cauæ, ἀρτήρα, defectum supplet.

Secundò, phrenicam.

Postea perforat diaphragma, mittitque septem arterias à locis nominatas, nempe Coeliacam è qua plures ramusculi sparguntur in ventriculum, pylorum, omentum, hepar, cystim, lienem: Mesentericam superiorem: Renalem, quæ non tantùm ducit spiritum vitalem ad renes, sed serum attrahit in arteriis contentum maiore copia quàm in venis, vt per renes repurgetur: Spermaticam, quæ fertur ad testes: Mesentericam inferiorem, quæ ad inferius mesenterium: Lumbarem, quæ ad lumborum vertebra; Musculam, ad lumborum musculos.

Plus est serum
in arteriis,
quam in
venis.

Posthas propagines diuiditur truncus in ramos iliacos & crurales, sicut vena caua descendens, vsque ad extremas pedum partes. Ferè enim arteriæ venas comitantur: cum nulla sit arteria sine coniuge vena; licet quædam venæ sint sine arteria; quia sanguis crassior in exiguas partes & distantissimas non comitat, sine ductibus venarum; sanguis verò arteriosus verè aërius, & venoso tenuior ac subtilior ab extremis maiorum arteriarum delapsus, per cæcas occultasque vias in loca distantiora subtilissimè decurrit, etiam sine arteriis. Dicitur quippe arteria, ἀρτήρα, quod est aërem, puta sanguinem aërium & spiritum subtilissimum conferuare.

Vbi arte-
ria, ibi ve-
na, non
contra.

Neurographia.

Seu Descriptio neruorum omnium.

Posteriore cerebro eiusve medulla nerui omnes duri, molles, sensifici, motorii ducunt originem. Hoc docet ἀρτήρα, siue inspectio ipsa: itemque affinitas nerui & cerebri tanta, vt Galenus neruum appellet, paruum cerebrum constipatum; quia neruus, vt cerebrum, intus mollis est ac medullaris; extrinsecus autem membranofus: & quicquid habet, à cerebri substantia habet, & à meningibus.

A Cerebro
posteriore
& spinali
medulla
oriuntur
omnes
nerui.

Ita tamen nerui à cerebro oriuntur, vt omnes sint coniugati, nec impar vllus inueniatur. Ideò Latinis, neruorum paria dicuntur siue coniugationes, Græcis οὐζύια; quarum septem, dum medulla adhuc in cranio est, producantur; & triginta, ubi spinalis dicitur, ac per media vertebrarum foramina defertur. Et septem quidem primæ coniugationes designantur his versibus:

Prima videt, oculos mouet altera, tertia
gustat,

Quartaque, quinta audit, vaga sexta est;
septimalinguae. Prima enim coniugatio est neruorum opticorum, ac visiorum; qui per caluariæ foramen in oculi centrum sese interfecando, desinunt, & spiritus visorios deferunt ad oculum: Illis enim obstructis perit visio. Porro cum opticorum neruorum substantia mollis ac medullosa ad crystallinum humorem peruenit, ibi dilatatur, creatque tunicam reticularem; de qua supra, ubi de oculis.

Secunda est neruorum mouentium oculos, qui scilicet in oculorum musculos dispersi sunt, ex lateribus basis cerebri prodeuntes.

Tertia est gustatoriorum, è basi cerebri ad linguam euntium, ac sese effundentium in quosdam oculorum musculos, frontis etiam, faciei, temporum.

Quarta huic proxima, sed minor, portione quadam in palatum, quadam in tunicam linguæ subtensam decurrit, & gustui deseruit, vt tertia,

Quinta fertur in aures & meatum auditorium; ubi ramulos spargit, quorum vnus excurrit ad musculos laryngis & ossis hyoidis: unde existit mira illa sympathia aurium, linguæ, & laryngis, de qua diximus ubi de auribus.

Sexta amplissima est, vagaturque per omnia penè viscera. Cum enim caluariam egressa arteriæ carotidi contigua, accessit ad iugulum, finditur in tres furculos. Primus est duplex, nempe dexter & sinister.

Dexter

Dexter axillarem arteriam amplectitur, & per eam reflexus instar ductarii funis, qui per trochlearum orbiculos traicitur, sursum ascendit in musculos laryngis: sinister verò magnæ arteriæ truncum, quâ parte in dorsum detorquetur, circumplicat. Hos nervos vocant Anatomici recurrentes & vocales; quia his abscessis animal obmutescit.

Secundus furculus dicitur costalis, ut primus recurrens; quia secundus excurrit per latera costarum. Tertius dicitur stomachicus, quia fertur ad stomachum & ventriculum.

Septima coniugatio fertur ab occipitio in musculos linguæ & laryngis.

Præter has septem coniugationes, aliæ sunt triginta à medulla spinali præeuntes, sicque diuisæ, ut cervicis sint septem; dorfi duodecim; lumborum quinque; ossis sacri sex; licet alii quatuor numerent non satis exactè diuidentes.

Coniugationes cervicis, aliæ feruntur in musculos occipitis, vertebrarum, œsophagi, colli; aliæ in cutem faciei, in cervicis musculos, brachia, scapulas, diaphragma.

Notatu dignum est, à quarta, quinta, sexta, & septima coniugatione cervicis ferri nervos ad diaphragma: unde est mira illa diaphragmatis & cerebri sympathia, inflammato enim diaphragmate fit phrenitis. Item à quintâ, sexta, & septimâ exoriri nervos brachiorum, qui ad sex paria reducuntur, per totam manum egregiè distributa.

Coniugationes thoracis oriuntur ab illius vertebris. Prima & secunda fertur ramo anteriore, in brachium; posteriore, ad musculos thoracis. Reliquæ decem parte quidem anteriore, ad singula feruntur spatia costarum; posteriore autem, ad musculos thoracis & spinæ.

Lumborum coniugationes feruntur ramis posterioribus, in musculos spinales; anterioribus in testes, & musculos abdominis, ac femoris.

Coniugationes ossis sacri, partim in femur, partim in musculos vicinos & cutem, partim in collum vteri, musculos ani, vesicæ, & penem disperguntur.


Per totum verò pedem quatuor nervi insignes deducuntur ex tribus inferioribus coniugationibus lumborum, & quatuor superioribus ossis sacri: qui quidem nervi varios ramorum furculos in varias partes, tibiam scilicet, peronem & extremum pedem emittunt.

Hæc est nervorum omnium, atque adeo vasorum totius corporis distributio admirabilis; de quâ, ut & de vniuersa corporis humani compage, satis, pro ratione Antho-

Tom. II.

logiæ anatomicæ & institutæ Synopses. Sed quia eius ordinis ac gubernationis quæ in humano corpore cernitur ac relucet; itemque politici illius regiminis quod Aristocratia nominatur siue status Aristocraticus, pulcherrima est planèque mirabilis analogia & consensus, ita ut vterque status mutua cõparatione magis innotescat: propterea nouam appendicem de Aristocratia, humani corporis Anthologiæ anatomicæ censui esse merito attexendam.

anima, de
sensu &
sensu, de
historia &
partibus
Anima-
lum.



A P P E N D I X NOVA AD ANTHOLOGIAM ANATOMICAM DE statu Aristocratico siue Aristocratia humani corporis.

Præfatiuncula.

Quis scopus operis ordo & ratio Inscriptionis.



RCHYTAM Tarentinum Pythagoricum insignem olim Mathematicum narrat Phauorinus Philosophus apud Aulum Gellium l. 10. noct. attic. c. 12. ea ingenii

dexteritate columbam à ligno cõcinnasse, tamque diuina arte librasse; ut non modo absolutissimam columbæ speciem lignea materies referret: sed etiam quasi vitæ, animæque compos esset, in cælum surrigi ac volare videretur. Egregium hoc opus, tanquã humanæ artis miraculum, veteres admirati fuere, & solertissimum artificem merita laude celebrarunt; qui tam scitè, tam eleganter, columbæ formam expressisset; & qui maximè viuos naturæ motus ac volatum, inclusis scilicet ligno librantibus machinulis, afflato-ve arcano quodam spiritu subtilissimè imitaretur. Ecce verò quod in natura miremur magis, in humani scilicet corporis fabrica & compage qua nihil in adspectabili mundo ornatius, nihil elegantius, nihil perfectius, summus ille & sapientissimus artifex Deus expressit ac concinnauit. Quòd si vitæ leges & gubernacula spectemus, si arcanas illas partium principum facultates, quasi latètes machinulas, & spiritus, Dei ipsius ore afflatos, quibus mirabili ordine mouetur, regiturque corpus vniuersum, attentè dispiciamus; Deus bone? quot & quanta diuinæ bonitatis ac potentie suppetent argumenta? quot infinitæ sapientiæ

ũ

Ab inflam-
mato dia-
phragmate
phrenitis.

Oportet
breuem
hanc Ana-
tomen inse-
rere, propter
libros de

miracula elucescent? Scilicet eo ordine, iis legibus teneretur & cohæret humani corporis, parui illius mundi, respublica; ut in cæteris naturæ operibus lusisse dütaxat, in hominis autem opificio, sudasse quodammodo, ac sese pæne totam Dei virtus & sapientia videatur effudisse. Faciamus hominem (inquit ipse Deus, sacrosanctam Trinitatē in consilium & societate perfectissimi operis adhibens, quasi in vnius hominis fabrica, potentiam maiorem ostentare velit) ad imaginem & similitudinē nostram. Enimverò artificia vulgus quidē æstimat ex materia; periti verò & sapientes ex pulchritudine & forma. Non lucens aut expolitur ebur, non aurum obrizum, non parium lapidem aut marmor, unde humanum corpus conderet, quæsiuit magnus ille artifex; sed limum, propter artificis dignitatem, auro, gemmisque pretiosorem. Sic Debutadem Syeionium insignem statuarium, simulacra pulcherrima aiunt ex argilla finxisse, quæ propter artificis peritiam, aureis statujs præferebantur.

Materiam superabat opus. ---

At formam illam ac pulchritudinem, quæ præfertim intus splendet, si mentis oculo intueamur; quid aliud, quàm perfectissimæ *monias*, Ideam, quasi diuinæ sapientix radium, iustiùs mirabimur? Salomonis diuitias & magnificentiam vidit olim Regina Saba; sed vnam illius sapientiam, quæ in ministeriis, regixque domus ordinatione relucebat, fuit demirata. Ego quidem humani corporis ornatissimam fabricam, cum ante annos aliquot Parisiis Medicinæ darem operam; vidi pluries, & consideravi diligenter: at egregiam illius administrationem, quasi sapientissimam Politiam planè admiratus sum. Quam ideo, rei dignitate allectus, cum pensulatiùs expendissem, Politicæ Aristocratix simillimam ratus, hoc opusculum, quod est Aristocratia humani corporis, in publicam lucem edere operæ pretium existimaui, quasi elegantioris doctrinæ superpondium, auctarium, *καὶ ὀμιλουμένη*, atque tandem ut Appendicem ornatiorem & exquisitiorem ad Anthologiam Anatomicam, cuius studii & lectionis lectorem ingeniosum ac curiosiorem minimè, ut spero, pœnitebit.

Propositum itaque mihi est de paruo mundo, eiusque administratione dicere; & egregiam illam scituque dignissimam humani corporis politiam, de qua veteres tantopere controuersati sunt, perspicuè ac breuiter explicare: quibus scilicet legibus, nostra illa respublica gubernetur, quid in ea teneat principatum, quis sit partium ordo, consensus, societas: an secundum animam, vna plures-ve partes vniuersum

corpus regant, sint-ne quædam principes, quæ imperent, aliæ ignobiles, quæ obtemperent; an verò omnes sub domina & reitrice anima, paris sint potestatis & dignitatis,

Arduum & graue opus, paruis impar ingenijs, eoque mihi difficilius, quòd plerisque videatur esse facillimum.

Creditur ex medio quia res arcescit, habere

Sudoris minimum, sed habet Comædia tanto

Plus oneris, quanto venia minus.

Trita & communis pæne omnibus est hæc via, de homine, de Microcosmo, de humano corpore scribere; ut in ea labi aut errare turpissimum habeatur, & in tyrunculo etiam reprehendendum. Sed si profici illi sapientes, in magni mundi & ad spectabilis naturæ, quæ vbiq; sinum suum expandit, contemplatione, tam sæpe allucinari sunt; sintque etiam laude digni, quòd singuli tantillum de veritate dixerint, ut ait Aristoteles: forte is excusationem merebitur, qui in parui mundi siue hominis, ut breuiorem sic & difficiliorem structuram & gubernacula intentus, omnia eleganter & accuratè non exiger, quædam prolixius enarrabit, quædam breuius perstringet, nec propositam materiam pro dignitate exequetur.

Tribus enim duntaxat libellis rem tantam absolueri institui: In primo notitiam vnius hominis, alia qualibet præstabiliorem ac vtiliorem esse demonstrabo. Postea singulares coporis humani dotes ac prærogatiuas recensabo: Tum eiusdem mirabilem fabricam ac pulchritudinem declarabo. Denique esse in corpore politiam quandam docebo, ipsa partium fabrica longè pulchriorem, è qua scilicet humanæ ciuitatis status, salus & incolumitas dependeat.

Et hanc quidem politiam ut faciliùs exponam; in secundo libello de policia siue republica in vniuersum, omnibusque gubernandi formis differam breuissimè.

In tertio propriam humani corporis politiam explanabo; quam ad Aristocratiam referri debere concludam, à quo operis scopo & fine, Aristocratiam humani corporis, totum opus nominaui.

Genes. 1.

Cyp. 2.
L. 3. Reg.

Horat. L.
2. ep. 1.

L. 2. sap.



ARISTOCRATIÆ
HVMANI CORPORIS
LIBELLVS PRIMVS.

Hominis notitiam quavis alia esse præstantiorem ac meliorem.

CAPVT PRIMVM.



ANAXAGORAS primaria notæ Philosophus, cum aliquando interrogaretur, cuius potissimum rei causa natus esset, *εις ηωείας ήλιου, ήρην, και σελήνης ή ουρανό, vt viderem inquit, Solem & Lunam & cælum.* Hoc philosophi responsum, quasi auream gnomen & oraculum excepit ingeniosus poëta, explicuitque versu vulgato quidem, sed eleganti.

Pronaque cum spectent animalia cætera terram,

*Os homini sublime dedit, cælumque videre
Iussit, & erectos ad sydera tollere vultus.*

Scilicet puros illos æthereosque ignes & cælestia corpora, quibus elementaris mundus gubernatur, tanti faciebat magnus Anaxagoras, vt mundum hunc inferiorem, resque terrestres & humanas, tanquam caducas & viles, orioque sapientum indignas despiciens, animos in vnum cælum, posthabitis cæteris, putaret erigendos.

Sed non placuit Anaxagoræ dictum sapientissimo Socrati, qui furori ac dementiæ proximum existimauit cælestia perquirere, & ea quæ supra nos sunt anxie perscrutari, neglectis aut ignoratis iis quæ sunt in nobis, *παιδ' ήμῶν, ή ποδ' ήμῶν.* Non placuit & veteri euidam poëte, cuius hæc à M. Tullio sententia citatur. *Quod est ante pedes nemo spectat, cæli scrutantur plagas.* Imò nec bene hinc Thaleti Milesio cessit, qui dum noctu astra contempleretur, cælo nimium additus in scrobem decidit; quem ridens ancilla *δυσμα παδῶν ήρην, ής τῶν αστρῶν ποδῶν αγγιστῶν, τῶν ουρανόω ήσπερῶν,* iusta philosophum pati dixit, qui ea quæ ad pedes suos essent, ignoraret; quæ autem in cælo essent, curiose nimis contempleretur. Sane verò cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum. *Mirabilis est in altis Dominus.* Atque flos naturæ, vt dixerunt Platonici, in supernis illis æternisque corporibus emicat & splendescit; fæces verò in terrestri mundo subsidunt. Et cælum est quasi mundani theatri voluptas & delictum, cuius gratia oculos homini tributos esse Plato affirmavit.

Tom. II.

Denique cælestes orbes, vt dixit Philo Iudæus, magnitudine immensi, cursibus rapidi, splendore pellucidi, spectacula quotidie exhibent iucundissima, mētesque rapiunt in admirationem; dum syderum tanquam gemmarum interlucentium varietate conspicui, procedunt suda nocte, serena gratia, dum astrorum quæ in septem inferioribus globis versantur, & errantia dicuntur, ortum, progressum, occasum ostendunt, dum tot signorum sese veluti manu complectētium choreas, iugi vertigine circumuectas, & hinc inde minorū stellarum innumeros greges, in aplane quasi in amœnissimo campo ducunt; dum vitali propagato lumine, arcanoque influxu, rerum generationes moluntur, mirabiles occultasque vires inferunt, anni tempestates alternant, mundum denique administrant. Cælum, inquam, diuinæ Maiestatis palatium est ac regia, Templum Angelorum, paradus hominum, liber mundi, naturæ theatrum amœnissimum. Si tamen verum amamus, & rerum dignitatem non ex mole aut vastitate, sed ex propria naturæ conditione, vt par est, æstimemus, Homo perpetuum est ac singulare naturæ decus, gloria, miraculum, mundi thesaurus vnicus, Dei templum ac delictæ, perfectissimumque rerum omnium exemplar; atq; exemplar eiusmodi, quod ipsum sibi à Deo, à natura, à seipso propositum sit, vt relictis aliis omnibus seipsum in seipso, imò omnia in se vno quodammodo collecta, quasi in infito & naturali speculo cõtempletur; atque ex hac contemplatione ad supremi rerum conditoris Dei Opt. Max. cognitionem & amorem (qui hominum finis est vltimus) deducatur & assurgat.

Enimverò siue scientiæ vbertatem ac splendorem requiras, siue vitæ morumque probitatem sectari desideres, nihil profecto aut fingi aut esse potest, vnde facilius & copiosius aut erudiri ad sapientiam, aut informari ad virtutem possis, quàm ab vnus hominis notitia & contemplatione.

*Quadrigitis quæris bene viuere, quod petis
hïc est.*

At bene viuere (quod Aristoteles vocat *εὖ ζῆν* καὶ *εὖ πράττειν*) est beatum esse: beatus autem vnusquisque efficitur partim contemplatione, & scientia rerum præstantissimarum, quæ à sapientia est, partim honestarum actionum exercitatione, quæ à prudentia & virtute dirigitur. Quare si vnus hominis cognitio, rerum non modo præstantissimarum & altissimarum, sed etiã omnium cognitionem complectatur; simulque demonstrat viam virtutis, & quomodo animi mores secundum rectæ rationis legem componi debeant; nulla pro-

fecto in vniuerso rerum ambitu poterit esse notitia præstantior, nulla melior, viroque probo ac sapiente dignior.

Iam vero quisquis hominem perfectè nouit, is omnia quodammodo nouit, is legem vitæ probè tenet, morumque disciplinam. Quid enim is ignorabit, qui id in quo omnia sunt perfectè cognoscet? Atqui in homine omnia continentur. Quippe rerum omnium amplitudo & vniuersitas, creatore & creatura, hoc est Deo & mundo, cuius ille artifex est & gubernator, constat, ac definitur: At creator siue Deus Opt. Max. in homine est, vt in viua sui effigie, & quasi pater in sobole, artifex in opere, *faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Inquit ipse Deus, *genesis 1.* Creatura etiam omnis mundus-ue vniuersus in eodem homine includitur. Quorsum enim Christus dominus qui ipsa veritas est, hominem appellasset creaturam omnem? *Prædicatè inquit Euangelium omni creatura,* Id est, omni homini, qui rerum omnium creaturam est breue quoddam compendium & epitome. Quis verò non videt, binos & radiantes oculos, quasi geminos soles, stellas-ue clarissimas, in humana facie splendere? quis non animaduertit, cor quasi cælum, perpetuo motu Systoles & Diástoles in nobis agitari? quis innatum illum calorem vitalesque spiritus in visceribus & præcordiis effulgentes non agnoscit, quasi cælestis luminis radios passim oberrantes, vitamque custodientes? Cum calor & spiritus qui in nobis viget, proportionem respondeat elemento stellarum, vt docuit Aristoteles.

C. 3. l. 2. de Gener. animal.

Quis nescit hominem, vt cætera corpora perfectè mixta, constare quatuor elementis, igne, aère, aqua, terra? habere esse cum lapidibus, viuere cum plantis, sentire cum animalibus, intelligere cum Angelis? Quis denique non percipit admiranda illa corporis humani compage & fabrica, omnium corporum tam animatorum quàm inanimatorum genera, tanquàm sub lege mensuraque sua comprehendendi. Et spiritali etiam anima, formarum principe, non tantum formas naturales, sed & animas viuentium omnes (vt imperfecta sub perfectis) imò diuinas illas mentes substantiasque spirituales bellissimè contineri? vt certè homo nexus Dei & mundi, confinium rerum cælestium & terrestrium, Horizon materialium & immaterialium, vinculum Angelorum & animantium elegantissimè fuerit appellatus: qui per corpus quidem organicum, illudque omnium temperatissimum & elaboratissimum, corporea omnia; per animam verò incorpoream & spiritalem, quam dixit Aristoteles *πῦρ ἡναι πῦρ*, spiritalia om-

Philos. Synesius.

2. 3. de 40.

nia ineffabili modo complectatur.

Imo vero licet animæ rationalis (quæ in corpore est, vt in mundo Deus, diuinæque naturæ vnitatem suæ essentia simplicitate, & sacratissimam personarum triadem, suarum facultatum, intellectus, memoriæ & voluntatis ternitate refert) substantiam inaspectabilem *ἢ φῶς ἀσπρία*, *L. 1. de die* vt vocat Hippoc. & illam diuinæ particulam auræ, Theologis ac philosophis relinquamus; solumque corpus, & ea quæ nostris sensibus patent, contemplemur; mirabimur profecto, in vno hominis corpore mundum vniuersum siue creaturas omnes, quasi in pretioso scrinio esse conclusas: vt ideo quisquis hominem comprehenderit, omnia se eadem opera intellexisse meritò possit gloriari.

Rerum creaturarum ordines siue mundos tres agnouit antiquitas, inquit Picus Mirandulanus, supremum omnium vltimum mundanum, quem Theologi angelicum, Philosophi intellectualem vocant, qui scilicet tribus Hierarchiis, nouemque spirituum siue angelorum choris constat: Proximum huic cælestem, lucentibus sphaeris ac syderibus, & vno præsertim sole conspicuum.

Præfat. in Heptap.

Postremum elementarem, quem nos incolimus. At mundos illos tres quis non deprehendat in tribus humani corporis regionibus, capite, thorace & infimo ventre? vel, quod eodem recidit, in tribus illis principibus ac heroicis partibus, cerebro, corde, hepate? Cerebrum enim in altissima capitis regione positum, intelligentiæ sedes, spiritalis animæ regia, rationis domicilium, cogitationum campus, specierum intellectuum aula, spirituum animalium officina, quid aliud est, quàm intellectualis ille siue angelicus mundus? cor autem thoracis media regione ac amplitudine definitum, vitæ fons ac principium, caloris innati focus, viscerum solidissimum, perenni motu agitatum, spiritus vitales, quasi salutes quosdam radios, per vniuersum corpus transfundens, profecto cælestis est mundus, vnde viuificum lumen ad nos vberimè mittitur. Denique hepar infimi ventris regione contentum, quid aliud esse potest, quàm elementaris mundus? nam vt elementaris mundus quatuor continet elementa, estque generationum proprius locus, (in angelico enim & cælesti nulla est generationum vicissitudo) Sic & hepar author est & opifex quatuor humorum, qui quatuor elementis respondent. Bilis enim calida sicca, ignem refert; sanguis calidus humidus, aërem; pituita frigida humida, aquam; melancholia frigida sicca, terram. Sed & idem hepar con-

cupiscentiæ sedes est & genitalis ac prolifici liquoris siue seminis primus artifex, cum semen ipsum fiat ex sanguine, sanguis autem hepatis virtute procreetur. Quæ cum ita sint quis non fateatur in vno homine, vt in paruomundo omnia contineri? cuius etiam corpus, imo eius principes partes, mundos omnes tameleganti analogia complectantur? Quod si in ipso corpore diuinum quiddam desideres, an-non in tota illius structura, regium quidpiam & magnificum inesse conspicitur? an non in vna facie, quam homo propriam habet, quidam relucet diuinitatis radii? an non vultum ipsum, in quo diuina quædam maiestas residet, cætera animalia reformidant, vt regem subditi, dominum ferui?

Si ergo tam diuini perfectique operis accuratam notitiam assequamur, quid erit tam abditum, tam excellens, tam vile, tam altum, tam diuinum, quod nos fugere & latere possit. Eleganter Manilius lib. 4. Astron.

--- quid mirum, noscere mundum

Si possunt homines, quibus est & mundus in ipsis.

Exemplumque Dei quisque est in imagine parua.

At enim verò præter hanc multiplicis scientiæ præstantiam, quam exquisita & diligens humani corporis contemplatio suppeditat; magna etiam existit ad formandos mores vtilitas, quæ ex propria sui cognitione orta, hominum animos virtutum fructibus mirè instruit & locupletat, atque ad Dei notitiam, cultumque perducit. Quis enim erectam corporis sui figuram inspiciens, oculosque in cælum sublatos, non statim intelligat, sibi esse terrena & caduca relinquenda, & quærenda cœlestia? Quis aures duas, easque apertas ac perforatas considerans, linguam vero vnicam, & forti vinctam ligamento, ore dentibusque conclusam, non facillè hinc discat, duplò plus audiendum quàm loquendum, priusque verba ad iudicii ac prudentiæ limam esse excutienda, quàm per linguam effundantur? Quis facultatum diuersoria, mirabili ordine disposita, & suis quæque locis distincta perspicens, & rationalem quidem omnium principem in cerebro, summa illa totius corporis arce, residere intelligens, irascibilem in corde, concupiscibilem in hepate, non hinc colligat, rationem in omnibus ducem esse debere, & regulam humanarum actionum? Quis heroicarum partium cerebri, cordis, hepatis aristocratiam, summa iura, regia officia, munificentiam, & ignobilium vtpotè neruorum, arteriarum, venarum, pulmonum,

Tom. II.

vesicæ, lienis, cystis ministeria animò reputans, non intelligat debere subditos principibus alacriter obtemperare, & principes ipsos iustè sapienterque imperare, clementes esse, liberales ac munificos? Quis obseruata amica illa partium societate, sympathia mutuisque auxiliis non aduertat, colendam esse inter homines amicitiam, iracundiæ motus reprimendos, egentibus subueniendum, turpemque auaritiã, vt naturæ repugnantem, procul reiiciendam? Denique quis est adeo hebes & obtusus, qui visa totius corporis elegantie compage, intellectis genitalibus principiis, tantillo scilicet parentis vtriusque semine, & guttulis aliquot materni sanguinis, vnde tanta, tamque affabrè facta partium diuersissimarum moles exurgit; spectata tandem peculiari cuiusque partis functione ac vsu, Dei Opt. Max. sapientiam incomprehensibilem, potentiam admirabilem, bonitatem immensam non suspiciat ac veneretur, & cum diuino illo regioque olore exclamet *Confitebor tibi domine, quia sapientia tua magnitudinem declarasti in corporis mei fabrica. Formasti me & posuisti super me manum tuam, ideo mirabilis facta est scientia tua ex me. Vel cum apostolo. O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei.*

Ergo vnus hominis imo corporis humani notitia,

Omne tulit punctum, quæ miscuit vtile dulci, Horat.

Quæ, inquam, non scientiæ tantum copiam & splendorem, sed etiam, quod precipuum est, & in aliarum rerum notitia reperire non licet, virtutum ac religionis fructus profert vberrimos.

----- quid tibi prodest,

Aërias tentasse domos, animoque profundum Horat.

Percurrisse polum, hoc nisi nôris.

Hoc opus, hæc disquisitio propriæ suæ naturæ, nostri conditoris hymnus est, veraque pietas, inquit genius ille medicæ artis Galenus, maior certè quàm si taurorum hecatombas sacrificaueris, & in altaribus thura, castiasque adoleueris. Hoc est perfectissimæ Theologiæ verum principium, cuius sacris eum oportet initiari, qui vniuersæ naturæ scientiam assequi desiderat.

Galenus
l. 17. de vsu
partium
c. 1.

---- illum ego iure

Despiciam, qui scit, quantum sublimior Atlas

Omnibus in Libya sit montibus, hic tamen idem

Ignoret, quantum ferrata distet ab arca

Sacculus, è cælo descendit, non enim

Si te ignoras ô pulcherrima (alloquitur animam hominis Deus ipse, in cantico canti-

eorum) egredere & abi post hædos tuos. Quasi verò qui naturæ suæ conditionem ignorant, digni sint qui à Deo expellantur, & ad indoctos *καὶ ἀλόγους* bestiarum greges ablegentur? Qui verò sui notitiam (iuxta præceptum illud Apollinis, qui sapientiæ & luminis Deus credebatur, in propylæo delphici templi, aureis literis insculptum) fuerint assecuti, Deo gratiores euadant, & similiores: qui non alio vitæ genere viuit, non aliter beatus est, quàm perpetua sui, rerumque omnium contemplatione.

Esse humani corporis dotes multas, insignesque prerogatiuas.

CAPVT II.

VT sol sydera, aurum metalla, adamas pretiosos lapillos, ac gemmas, rosa flores, Splendore, pretio, odore, pulchritudine, ac viribus superant; sic humanum corpus antecellit reliqua animalium corpora, quorum rex est, lex, ac mensura. Vt enim anima rationalis, tanquam omnium nobilissima, stirpium & bestiarum animas dignitate vincit, earumque vires & facultates excellentiore quodam modo, siue, vt philosophi loquuntur, eminenter continet (non secus ac binarius ternario, tetragonum pentagono, & viliores monetæ aureo numo continentur) sic & regium illud & egregium corpus, quod rationali animæ mancipatum est, tanquam illius naturale instrumentum, reliquis pulchrius est, easque dotes ac prerogatiuas obtinet, quas alii animalibus sapiens natura denegauit.

Solum hominis corpus ad amussim reatum est, à terra, quam minimum contingit, maximè subleuatum, & in cælum oculos & caput attollens, diuino quodam naturæ impetu. Hic situs plantæ positioni plane est oppositus; cuius caput & radices deorsum positæ, ipso ventre terræ reconduntur: bestia vero, vt naturam inter homines & plantas mediam, sic & medium situm sortita, obstipum ac deuexum caput habet, extremaque corporis secundum transversam positionem sic constituta, vt horizontis limitibus respondeant. Cuius prerogatiuæ causa, non ad animam quidem rationalem referenda est, alioquin nemo claudus esset, nemo gibbosus, nemo incuruus. Non etiam ad rectam illam lineam, quæ in dorsali spina descripta conspicitur, cum ea in serpentibus etiam reperiat: Imo neque ad vim aut copiam insiti caloris, qui par est, imo vberior in quibusdam aliis animantibus, (quanquam hæc omnia aliquid conferre, nolim omnino diffiteri) sed ad id maximè quòd homo sit

Deus quidam terrestris, *θεὸς ἑπίγειος*, vt dixit Trismegistus, sanctum & diuinum animal.

Sanctius his animal, mentisque capacius
alt.e.

Quòd, inquam, homo rex sit mundi inferioris, vt quemadmodum in singulis animalium ordinibus, quædam in quibusdam regni maiestatis notæ & insignia relucet (sic enim inter pisces vnus delphinus, quasi rex, coronam in capite gestat, vt inter serpentes basiliscus; leo autem rex quadrupedum regium torquem è iubis contextum, & flammantes oculos ostentat; & apum princeps venustiore corporis proceritatem) sic & inter omnes omnium animalium ordines, solus homo sublunarium regionum dominus & monarcha, erecto capite in terris incedat; vt in familia herus, qui nimirum animantes etiam ferocissimas regere possit, siue demulcendo cicures reddat, siue impactis vinculis & vi adhibita domet.

Solus homo manus habet. Quia manus mentis & artium sunt instrumenta. Has tanti fecit Anaxagoras, vt non dubitaret, *ἐλάττω τοὺς πόδας τῆς ἀνίας τῆς ἀνθρώπου τῆς ἀσθενείας ὡς ποίησε, vt* loquitur Plutarchus, in manibus causam humanæ sapientiæ reponere. Sed non ideo homo sapiens est, quòd manus habeat, sed quia sapiens est, ideo manus habet sapientiæ ministras.

Solus homo loquitur. Voces enim humani sermonis æmulas & imitatrices quædam aues edunt, sed dant sine mente sonum.

Solus homo ridet, solus titillationis sensum habet, solus sedet, solus metu pallefcit, solus pudore erubescit, solus caluescit, solus canescit, solus non mouet aures.

Solus sphericum siue globosum caput habet, quia anima cum è cælo nobis affundatur, cælestem id est rotundam figuram postulabat, in ea potissimum parte in qua nobiliores exerceret operationes, id est in capite, quod ideo cerebri plus continet, quàm capita animantium: quia homo animali vita maximè viuere debebat, & contemplationi, prudentiæ, virtuti, vacare, accerrimè sentire, moueri expeditissimè, ratiocinari penè semper; quæ omnia sine multo cerebro, spiritibusque animalibus, cerebri cellulas ac neruos opplentibus, fieri non potuissent.

Solus homo faciem habet, qua nulla pars in corpore pulchrior, nulla ornatior, aut venustior; ex qua idcirco totius pulchritudo, dignitas, & indoles æstimatur. Hanc vnã exprimeret satis esse putant pictores & statuarii, ac si reliquum corpus, totusque homo in facie sua, vt in compendio, contineatur. In facie sensuum omnium organa mirabili artificio disposita cernuntur, oculi, nares,

lingua: In superciliis superbia, in genis pudor, in oculis amor, gratia, indignatio, in mento maiestas, in fronte sapientia, in toto vultu honestas inhabitant: ut non immerito facies animi speculum & imago censetur; imò & altera corporis animula, & corpus quidem animum tegat ac detegat, in facie legatur homo. Vna facies oculos omnium commouet & allicit. Hæc prima visum percipit, prima placet. Hac sola supplices videmur, hilares, tristes, erecti, summissi, audaces, iracundi, modesti, verecundi. Hæc sexum, ætatem, stirpem, temperamentum, sanitatem, morbum indicat, vitæque ac mortis præsentia ostendit. Admiratione dignum est, quod cum facies, tam paucis constet partibus, quæ in omnibus hominibus reperiantur, nunquam inter tot hominum millia, facies duæ omnino similes exiterint. Quod diuinæ prouidentie ingens miraculum, ad humanæ societatis conseruationem planè necessarium erat: ut amicus ab inimico, dominus à seruo, pater à proditore, filius à patre, vir ab adultero, mater à nouerca, filia à sorore & matre & coniuge, Gallus ab Hispano, Anglus à Germano discerneret. Faciem tamen habemus omnes ita similem, ut discernamur à brutis, ita dissimilem ut ipsi à nobis. Non sunt in bestiis oculi ambiguae varietatis, & coloris multiplicis, ut in nobis. Illis nasus non eminet, frons polita non est, tena & lucida; non florèntes genæ, non mentum, non denique vultus glaber ac depilis, diuinum nescio quid præ se ferens, ut mirum esse non debeat, faciem nostram animantibus esse terrori ac reuerentiæ. Forte quia in facie animæ vigor præsertim inhabitat, quem etiam si non vident animalia, tamen reformidant, inquit D. Ambrosius.

Non possum in hac prærogatiuarum hominis enumeratione, præterire, quod ipse non tantum post cætera animalia fuerit in prima illa rerum creatione formatus, tanquam illorum princeps ac dominus, atque ut præfesset piscibus maris, volatilibus cæli, bestiis terræ, ut est in literis sacris, sed post absolutam omnium rerum creationem, quasi homo diuinorum operum sit apex, finis, summa, vltimaque manus & Dei ipsius sigillum, imago, vniuersæque creationis præcipuum miraculum. Ut enim naturæ ordine prius sunt imperfecta quam perfecta, ut materia formam antecedit, corpus animam, officina artificem, puer virum: Sic ad hominis dignitatem pertinebat, ut non modo animalia, sed mundus vniuersus inferioresque creaturæ, quas iussit Deus humanis visibus obseruire, ante ipsum hominem procrearentur. Eleganter Diuus Ambrosius. *Processit postremus creaturarum omnium homo, inquit, specie gratus, mente sublimis, ut omni*

esset creatura miraculo, in quo ad similitudinem æterni Dei vix esset æternus, humana specie amictus. hinc est vis animæ vigor, principatum animæ sibi, quasi rector, vendicans; quem etiam si non vident animalia cætera, tamen reformidant; sicut nos Deum, quem quia non videmus, timemus, & eo plus metuemus, quia non videmus.

Eximiam esse corporis humani pulchritudinem, siue exterior forma, siue interior partium fabrica spectetur.

CAPVT III.

DIxerunt veteres bonitatem in centro latere, pulchritudinem in peripheria emicare: at in fabrica hominis non tantum pulchritudo splendet in polita, æquali, lucida, & temperata cute, in faciei gratia & venustate, membrorum æquabili proportionem, coloris suauitate, decoro habitu, externaque illa forma totius corporis; sed & in viscerum partiumque interiorum admirabili structura; qua profecto nihil elegantius est, nihil ornatius. In fabrica hominis nihil prauum est, nihil rude aut impositum; sed recta omnia, pulchra, venusta, bona, siue in limine consistas, siue regie huius domus subeas penetralia. Si in magno mundo omnia pulchra & valde bona (*vidit Gen. 2. Deus omnia quæ fecerat & erant valde bona*) Quidni in paruo? quid enim est ipsa humana specie pulchrius, quæ animalia terret, homines conciliat flectitque vel crudelissimos, ut Circeæ illa virga, qua tactæ feræ mitescebant. Hanc tanti fecerunt Sapientes etiam Stoici, ut dicerent honestius ac tolerabilius esse, sub humana forma insanire, quam sapere sub forma bestie. Sed & externa illa, quæ in humano vultu refulget pulchritudo, magni semper fuit æstimata; ut etiam Aristotelis iudicio, qui in ea excellunt, veneratione quadam ac imperio digni sint.

Πρῶτον ἰδὲ εἶδος ἄξιον ἰσχυροῦς, τὸν ἄνθρωπον.
Inquit Euripides in Phœnis. Cyrus, Alexander, Cæsar, Hiero, Scipio eximia pulchritudine freti, faciliè cæteris hominibus imperarunt, magnaque pulchritudinis nomine præstiterunt.

Gratior est pulchro veniens à corpore virtus. *Virg. 3. Eneid. 1*
Pulchritudinē dixit Plato esse rarum & insigne nature priuilegium, Socrates breuem tyrannidem: quæ nimirum vincat animos spectantium, & nolentes ad se trahat atque conciliet. Græci pulchrum, bonum, imò & honestum eadem voce significant, quare si hominis fabrica vbique pulchra & elegans est, ut est, eadem erit omni ex parte bona.

Sed mirabile est interioris fabricæ artificium, planèque diuinum. Nunquid enim millies atque iterum millies demirari par esset sacram illam arcem Palladis (caput humanum dico, quo cerebrum continetur) Regiæ illius domus columnas, & concamerata inuolucra, superbi ædificii ingentem molem, suffulcientia atria, sinus quatuor, speculum lucidum, plexus arteriolarum labyrintheos, venarum mirabiles ductus, cerebri elices & aquæ ductus, neruorum innumeras scaturigines, medullæ illius albæ, quam sapiens in Ecclesiaste funem vocat argenteum, miram propagationem? Quid dicam de auditus abditiore organo, ianua illa scientiarum, virtutis & disciplinæ? de aurium, inquam, structura tot intus composita labyrinthis, cochleis, fenestellis, tympano, tribus ossiculis, stapede, incude, malleolo, exiguis musculis, neruo acoustico, canali cartilagineo, & cæteris. Quid de pusillo ac mirè volubili linguæ corpusculo, iudice saporum, gustatus organo, rationis interprete, orationis instrumento, totius hominis plectro, vnde laudes & probra, vnde benedictio & maledicentia, honor & contumelia, pax & pugna, adulatio, eloquentia, veracitas, mendacium, fama, infamia? cui præter propriam quandam carnem, musculos decem, membranas, neruos plurimos, natura frænum sapienter iniecit, quo eius in loquendo licentia coereretur. At oculi nobilissimi sensus organa, omnem superant admirationem. tot enim particulis tanta industria dispositis concinnati sunt, vt nesciam, an cum Plotino & Synesio, naturam magnam appellare debeam, quòd minima corporis parte, tot tamque differentes particulas, musculos sex, superbium, humilem, bibitorium, indignatorium, amatorios duos: tuniculas sex, coniuictiuam, corneam, vucam, araneam, reticularem, vitream: humores tres, albugineum, crystallinum, vitreum: tot neruulos, tot venulas, tot arteriolas concluderit: In editissimo loco ad perpetuas excubias constituerit; mira reuolutionis facilitate ac volubilitate, ad promptiorem motum donauerit; in antro cauo, quasi in sinuosa valle, recondiderit, ossibus vndiquaque & palpebris, quasi propriis sepimentis, ad securitatem obuallauerit.

Quòd si principis illius & calidissimi visceris, cordis scilicet, constitutionem dispiciamus; an non mirabimur solidissimam illius carnem, villos siue fibras omnis generis, venam *superficiam* eius basim coronæ instar cingentem, & ramulos hinc inde spargentem, exiles à sexta coniugatione

neruulos, adipem copiosum (quo præter naturæ legem feruidissima pars oblinitur) geminos illos profundosque specus, aurículas duas, valvulas vndecim, quatuor insignia vasa & canales, venam cauam, venam arteriosam, arteriam venosam, arteriam magnam, siue Aortam: quibus tanquam vberissimis humanæ naturæ fontibus ac fluminibus totum corpus irrigari dixit diuinus Senex Hippocrates. Nihil dico de neruorum miranda propagatione ac furculis innumerabilibus vasorum omnium, de venarum & arteriarum origine ac diuortii: nihil de hepatis, lienis, renum, pulmonum, laryngis ornatissima structura, quàm quisquis ex autopsia considerauerit; is profecto intelliget totam illam interiorem fabricam, non tantum naturæ esse supremum opus, ac *δυναστεύουσα*; sed pulcherrimum Dei librum, in quo diuinæ sapientiæ *ἡσυχαστικῆς* miracula legantur, rerumque omnium typi perfectissimè cernantur expressi. vt profecto non in externa tantum corporis conformatione, sed maximè in interiore viscerum delineatione & fabrica, consistat humanæ naturæ pulchritudo.

Esse in Humano corpore politiam quandam, ipsa partium structura longè pulchriorem & mirabiliorem.

CAPVT IV.


IAm verò licet humani corporis eximia sit conformatio, atque omni ex parte excellens & pulcherrima; vt vel ex hoc vno artificio potentiam sapientissimi opificis liceat intelligere: est tamen præterea in humano corpore quidpiam pulchrius atque diuinus, quod summi conditoris sapientiam ampliùs manifestet. Politiam intelligo, regimen, siue gubernationem totius corporis; per quam, secundum intelligentis animæ summum imperium, ipsum corpus, quasi amplissima ciuitas, nobiliorum aliquot partium, quibus insitæ sunt retrices facultates, necessariis officiis sic regitur & administratur, vt vitam inde homo teneat & sanitatem, nutriatur, crescat, sentiat, respiret, loquatur, loco moueatur, cogitet, imaginetur, intelligat, totaque hinc partium moles & fabrica perbellè contineatur & subsistat. Vt enim in magno mundo, is ordo reperitur, vt inferiora superioribus subiiciantur, & ab his, illa moueantur reganturque, in commune naturæ bonum: nihilque est in rerum vniuersitate quod ad fines consentaneos non tendat & dirigatur, vsumque aliquem non habeat, ex iustissima ordinatione & politia æterni legislatoris; vnde existit mudi ornatus

& pulchritudo : sic sane in paruo mundo, ordo est aliquis partium, facultatum, actionum : ita ut alie superiores, alie subalterne, alie inferiores habeantur : & superiores quidem mouendi, dirigendique vim habeant; cæteræ verò illarum virtute gubernentur : ita tamen, ut pars nulla sit otiosa, sed vnaquæque officio quodam defungatur, & ad peculiarem vsum sit destinata, vnde redundet publica totius corporis utilitas. Hic enim ordo, vera politia esse videtur. Nam quemadmodum in ciuitatibus politia tunc esse dicitur, cum bene constitutæ sunt, bonisque legibus fundatæ; ita ut sint quidam principes vel magistratus, qui imperent & iura dicant, alii populares & subditi, qui pareant, nemoque ciuium inutilis sit vel otiosus; sed omnes pro suo quisque modulo artem aliquam reipublicæ utilem exercent: Sic sanè eodem modo, res habet in humani corporis administratione. Quis enim non videt politiam illam in nobis tam exactè seruari, ut si vel minimum deficiat, ipsius statim corporis ornatiſſima fabrica, pulchritudo, vis, robur, *ευκρασία καὶ υἰασις* labefactetur, morsque tandem obueniat? Nimirum ea lex à natura semel posita est, ut hepar verbi gratia pater sit nutritius vniuersi corporis: & quem insita sibi facultate alimentarium sanguinem elaborauit, per venarum tubulos & canales ad singulas partes alenda transmittat. Sed & is ordo constitutus est & politia, ut vesicula fellea, lien, renes, dulcissimum illum humorem nondum defæcatum, antequam faceſcat in alimentum, venasque permeet, amaro suo felle, limo crassiore, & acri sero repurgent. Faciamus ergo ex hypothesi ignauium & imbecille hepar ad *αἰμασίωσις*, & scirrho verbi gratia induratum, ita ut sanguinè aqueum, crudum ac nutritioni planè ineptum creet: faciamus præterea obstructas esse vias, & viscera illa tria languida esse, malèque affecta, ut non possint massam sanguinis pro sui officii ratione repurgare; profectò ex politia hac perturbata, corpus vniuersum insigne patietur detrimentum, membra flaccescent, viuus faciei color deflorescet, vires deficientur, actiones lædentur, deficiente necessariis & cõuenientis pabuli comæatu. Hinc enim existit hydrops, cachexia, iſterus vterque, febris, tabes, mors. Quid? an non febrilibus flammis accenso corde, vniuersum corpus malè habet ac febricitat? cæteris autem plebeiis partibus (ut sunt digiti) affectis, non necessariò cor ipsum condolet aut languescit; pulmonibus vero exulceratis, ut nobilioribus ministris, cor ipsum consentit atque compatitur, quia illorum eget perenni ministerio, ventilatione scilicet, ad innati feruoris refri-

gerium? hic sanè politia est manifesta. Ut enim læso principe læditur respublica, non item læso baiulo aut plebeio homine; Præterea ut læditur princeps eiusque minuitur authoritas, si Cancellarius, Consiliarii, & qui principi in publica administratione assident offendantur: sic læso corde, aliisve principibus partibus, vniuersum corpus noxam ac detrimentum capit: si verò viliores particulæ & quæ à principibus maximè distant, offendantur; non propterea corpus omne perturbatur, aut morbum contrahit. Quòd si partes principibus vicinæ, iisque ad publica & necessaria officia ministrantes malè habeant; malè etiam habeant principes partes, hincque corporis vniuersi perniciēs consequatur. Est igitur in humano corpore præclarissima politeia, quam ideo pulchriorem ac mirabiliorem ipsa partium fabrica æstimare debemus; quòd hæc ab illa omnino dependeat. ut enim à politico ordine ciuitatis splendor & constantia: sic à naturali illa politeia, humani corporis salus, elegantia, & pulchritudo proficiscitur.

In hanc igitur humanam politeiam placet paulisper oculos conuertere, tanquam in rerum omnium, quæ in paruo mundo sunt, præstantissimam, scituque iucundissimam.

Et quoniam speciem sine anticipata generis notione non intelligimus; operæ pretium erit, pauca quædam de Politia in vniuersum, documenta, sequente libello prælibare; ut ex communibus ad specialia, pro philosophica methodo, id est ex Politia generatim, ad Politiam humani corporis propriam descendamus.



ARISTOCRATIÆ HUMANI CORPORIS

LIBELLVS SECVNDVS.

De Politia in vniuersum.



NSANVM magnum molior negotium ut ait Plauti Chrysalus in bacchidibus, vereor que possim rectè ut emolior. Dicere de Repub. variisque gubernandi formis, non est medicæ professionis. Sapiētiorē artificem,

nempe philosophum requirit hæc πραγμασία: Atque ut generosos equos ad cursum incitat liber apertusque campus: sic & altiores animos multiplici doctrina claros, & experientia vsuque rerum peritos ad se vocat hæc disquisitio: quam idcirco non tam pertractare, quàm leuiter attingere decreui: ne in messem sapientissimorum hominū (philosophos intelligo & iuris peritos, ad quos politica ex professo tractare pertinet) manum mittere videar, mihi que vulgaris hæc occinatur cantio.

Μορμ.

----- *Quod medicorum est,
Promittant medici: tractent fabrilia fabri.
Nanita de ventis, de bobus narret arator,
Enumeret miles vulnera, pastor oves.*

Quanquam si theologus tractandam politiam assumit, ut ad Ecclesie regimen refertur, iuraque canonica; quidni medico idem licebit, ad humani corporis præclarissimam gubernationem exponendam? Politia siue administratio naturæ, diuina est & omnium prima, iusque ipsum diuinum, humana politia prius. Ut enim natura à Deo legem accepit, sic homines à natura (neque enim hic loquor de christianæ religionis politia, fide, mysteriis, diuinisque legibus, quas non à natura, nec ab hominum instituto petitas esse constat, sed ab vno Christo, Euangelicæ reipublicæ domino ac Nomotheta sancitas. Physicus ergo & medicus naturæ interpretes ac exploratores, primi politiam primam tractare iure suo poterunt, sine cuiusquam iniuria, aut temeritatis nota.

De vnius ergo hominis naturali politia mox dicturi, quid illa sit & quoruplex, quæque sint gubernandi bonæ & salutare formæ, quæ sit gubernationum optima & præstantissima, quæ bonis oppositæ ac repugnantes, sobriè & quantum nostro instituto sufficit, hoc loco dicamus.

Quæ sint politia acceptiones, & quæ sit propria illius definitio.

CAPVT I.

PRæclare & sapienter admonuit Epictetus insignis philosophus ἀρχὴ τῆς παιδείας, εἶτα τῶν ἄλλων ὀνομάτων ἐπίσκεψαι, *Initium doctrinae esse nominum considerationem.*

Quod & summus docuit philosophiæ præceptor Aristoteles in analyticis. Ignorata enim nominum vi, significatione & communi vsu, magna doctrinæ perturbatio & obscuritas ex homonymia solet exoriri. Politeian ergo definiturus, nomen prius excutiam & explicabo, eiusque acceptiones clarè distinguam.

Vox Græca est πολιτεία à voce πόλις deducta, quæ urbem siue ciuitatem significat. vrbs autem & ciuitas interdum pro domorum ac ædificiorum serie muris cincta, & vicis distincta sumitur, interdum pro ipsis ciuibus siue incolis. Propriè tamen ciuitas dicuntur hominum concilia, cæterisque iure sociati, ut ait M. Tullius. Vnde Thucydides ἀνδρες γὰρ πόλις, καὶ πῆχ, οὐδὲ τῆς ἀπορῶν κατὰ. *Ciuitas sunt viri, siue ciues, non muri, neque naues viris vacuæ.* Et Aristoteles τὰς πόλεις συνέχει φιλία. *Ciuitates continet amicitia.* Nam ciuitatum nomine, hominum cætus intelligit, non ædificia siue domos, inter quas amicitia minimè reperitur. Vrbs igitur ædificia, vicos, mœnia magis propriè significat, ciuitas vero ipsos incolas. Ductum igitur est ἀπὸ τῆς πόλεως, nomen τῆς πολιτείας, quia hæc est propter illam. Politia enim & politicum id omne dicitur, quod ad ciuitatis statum & administrationem quomodo-cumque pertinet.

Quanquam tres sunt duntaxat proprii ac legitimi modi, quibus Politia nomen accipitur.

Primò pro ipso regimine & actuali, ut loquuntur, gubernatione ciuitatis. Quo sensu politia dicitur ab Aristotele cap. 4. l. 3. polit. secundum versionem Perionii & Giphanii iurisc. vel cap. 6. eiusdem lib. secundum versionem Dionysii Lambini, quam recensuit Casaubonus, πόλις τῆς, *ordinatio ciuitatis.* Itemque πολιτεία, id est administratio siue ipsa gubernatio ciuitatis, πολιτεία γὰρ καὶ πολιτεία σημαίνει τὰς πόλεις. inquit ille c. 7. vel ut aliis placet c. 5. l. 3. polit. In qua acceptione eleganter dixit Isoerates ὅτι πᾶσα πολιτεία ψυχὴ πόλεως ἐστὶ, πᾶσι δὲ ἐχουσα δύναμις, ὅσπερ ὁ σώματι φρόνις. *Omniem politiam esse ciuitatis animam, & tantam in ciuitate vim habere, quantum in corpore habet recta ratio & prudentia.* & ipse Aristoteles πολιτείας vocauit βίαν πόλεως. *vitam ciuitatis.* Ut enim per vitam stat vigerque animatum omne corpus, sic per politiam sapienter administratam consistit splendetque ciuitas.

Secundò sumitur pro ipsa ratione & forma administrationis, ut sumpsit Plato in politico, & lib. 8. de Republica, vbi gubernationum ciuiliū formas, siue genera, vocat politeias. Quo etiam sensu dixit Aristoteles lib. 4. polit. hominem politicum ignorare non debere, quot sint administrandarum ciuitatum formæ, & formas illas esse tres βασιλείας, αἰσθητικῆς, καὶ πολιτείας. Et iuxta hanc acceptionem, πολιτεία Latini vertunt Rempublicam: adeo ut Respublica nihil aliud sit, quàm ipsa administrandarum ciuitatum ratio & forma, quæ in tria illa genera siue species distribuitur.

Tertiò sumitur pro eo ciuitatis administrationis genere, in quo multi impetant,

In som. Scipio.

Lib. 7.

Lib. 8. Ethic.

Lib. 7. Polit. c. 11.

diciturque à Platone & Aristotele interdum democratia, quod est tertium genus gubernationis. Sic enim Aristoteles cap. 2. lib. 4. politic. genera administrationum ciuiliū explicans, ait tertium ac postremum esse πολιτεία, cui tamen opponit δημοκρατία, quia in malam partem sæpius accipit Aristoteles democratiam, ut & oligarchiam. Atque ut Græci nomen generale politeias, seu penuria uocum, seu ex usu communiore, tertio gubernandi generi attribuant: Sic & Latini Reipublicæ nomen, licet conueniat tribus regiminum generibus, soli tamen tertio plerumque accommodant; nomine generis (ut ferè fit) assumpto ad speciem significandam.

Quartò sumitur politia pro vitæ instituto & ratione. sic à D. Basilio dicitur κατὰ θεόν, καὶ κατὰ τὴν εὐαγγελίαν πολιτεία, & à Suida δημοκρατία πολιτεία. Sed hæc acceptio metaphorica est, & ab hoc institutò aliena. Trium ergo prædictarum acceptionum expeditissima & maximè propria est secunda. quæ licet à 1. parum distet, hunc in modum videtur definienda.

Politia, quam Latini rempublicam vocant, est certa, conueniens, & ordinata ratio gubernanda ciuitatis, secundum quam is ordo imperandi & obtemperandi seruetur, ut omnia ad publicam utilitatem referantur.

Hæc definitio ex Platone & Aristotele collecta est, libris citatis. Quam rectissimè traditam esse sic demonstro. Dicitur enim imprimis Politia, *certa, conueniens & ordinata ratio*, quia Politia nulla est, sine prudenti directione, rectaque administratione; quæ conuenientibus institutis ac legibus perficitur. Itavt ordinatio ac directio sit de natura Politicæ, ut si illa abesset, non Politia quidem vigeret, sed perturbatio potius, confusio & Anarchia induceretur; qua nulum terrius est malum. Tolle ordinem, tolles legem ac iustitiam. Tolle legem ac iustitiam, turbas concitabis, dissidia, tumultus, vnde ciuitatum perniciēs. Enimvero sine politico ordine *nec domus vlla, nec ciuitas, nec gens, nec hominum vniuersum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus potest*, inquit M. Tullius. Ut mirum non sit Aristotelem sæpius appellare, imò & definire rempublicam, ciuitatis ordinem, vnde recta ipsius ciuitatis gerendæ ratio dependeat. *Respublica, inquit, est ordo ratioque ciuitatis, cum in cæteris magistratibus, tum vel maximè in eo qui principatum tenet.* Ordo enim in ordinante est, siue in imperante primò ac præcipuè, secundò autem in rebus ordinatis, utpote in ciuitatibus, quarum gratia ordo ille ac directio instituitur.

Est igitur in Republica ordo, vel potius

Respublica ordo est ipse, quia prudenter disponit. (*Sapientis enim est ordinare.*) Est ordo ciuitatis, quia non vnus opinionem, sed ciuilem consensum sapienter postulat. Est ordo aliorum magistratuum, quia inferiores classes, gradusque honoris, dignioribus iustè distribuit. Est denique ordo summæ potestatis; quia quis dominus sit, in omni ciuitatis statu honorificè præscribit. Exempli causa in monarchia, ut vnus princeps; in Aristocratia, ut optimates; in Democratia siue Politicia, ut populus principatum teneat, hic ordo administrandæ ciuitatis præcipit.

Ut ergo corpus sine anima, cælum sine lumine, ita est ciuitas sine hoc ordine; quo omnia eiusdem membra vigent ac diriguntur.

Profecto, ut natura ordinem habet & Politiam, qua subsistit & continetur: sic & ciuitas suam habet ordinationem, qua ster maneatque incolumis. Hoc si quis sibi velit demonstrari, consideret rerum omnium scelas & gradus. Certè nec in primo res inanimes, nec in secundo vita sola præditas, nec in tertio, sensus etiam participes, nec in quarto rationis compotes, sine forma & ordine subsistere aut coherere intel- liget.

Cœli circulares suos cursus, elementa rectos motus, stirpes vegetalis suæ vitæ officia, bellæ instinctum, homines impetium habent: quæ omnia sic ordine ad summum bonum tendunt, ut mundum, quasi magnâ ciuitatem compaginemquererum, sub vno Imperatore Deo, florentem videas. Quòd si verum est, in omni rerum gradu directionem & ordinem requiri, quo illæ conferuentur, quis tandem inficiabitur requiri vel maximè in ciuitate, quæ sine ordine, & administrandi forma, non aliter quàm ruinosa domus concidet? Et si in familia, quæ est parua veluti ciuitas, sit confusio, cum ordo deficit aut herilis paterna ve directio, quanto maior futura est perniciēs in ciuitate, si ordine ac forma administrandi fuerit orbara? Exercitus sine duce, sine ordinatione militari, exercitus non est, sed confusa- nea armatorum hominum turba: Sic sanè ciuitas sine politico ordine perturbatio est, atque exlex multitudo. Denique si abesset à ciuitate conueniens illa & ordinata ratio, neque artibus, quibus sustentatur, neque virtutibus, quibus splendet ciuitas, ciues incumberent: cum recta illa ratio postulet, ut non tam priuatis suis commodis consulant ciues, quàm publicis.

Addidi in definitione, *gubernanda ciuitatis*, quia Politia est propter ciuitatem, ad cuius scilicet salutem & incolumitatem, tota regiminis ratio refertur: ut Dei prouidentia, propter mundi vniuersi conseruationem.

Lipſius c. 1.
l. 2. polit.

Addidi præterea, *secundum quam, is ordo imperandi & obtemperandi ſeruetur.* Neceſſe enim eſt ad Politiam, vt alii imperent, alii obediant. Vnde recentiores quidam, quam nos Politiam, illi imperium vocantes, dixerunt nihil eſſe aliud, quàm certum ordinem in iubendo & parendo. Et certè Politia dominatum includit: dominatur autem nemo, niſi ſint qui obediant. In ciuitatibus neceſſaria eorum qui imperent, & qui pareant discrimina, ponenda eſſe cenſet Plato lib. 3. de leg. vbi æquiſſimum eſſe docet, vt parentes, nobiles, ſeniores, domini, meliores, periti, ac prudentes imperent: filii autem, ignobiles, iuniores, ſerui, deteriores, imperiti ac minus prudentes obediant. Nec immeritò. Imperare enim cum res ſit præſtantiffima, ad præſtantioreſ & melioreſ pertinere debet, ex 1. & 3. polit. Hinc animus imperium habet in corpus, ratio in appetitum, homo in belluas, mas in foeminam.

Addidi poſtremò, *vt omnia ad publicam vtilitatem referantur.* Quia bona iuſtaque Politia, quam hic definimus, in eo differt ab iniuſta & deprauata; quòd illa communem omnium vtilitatem, honeſtatem, publicamque tranquillitatem, tanquam finem, perpetuò procuret & intendat, ſitque idè ex cap. 4. l. 3. polit. iuri perfectò conſentanea; hæc autem quæ corrupta eſt, eorum duntaxat qui præſunt ac dominantur, commoditatem ſpectet. Publicæ autem vtilitatis nomine intelligimus, tam eorum, qui imperant commoda & rationes, propter quas iuſtus ille politicus ordo inſtitutus eſt, qui perfectò *vinculum illud eſt, per quod reſpublica coheret, ille ſpiritus vitalis, quem hæc tot milli atrahunt, nihil ipſa per ſe futura, niſi onus & præda, ſi mens illa imperii ſubtrahatur, vt eleganter dixit Seneca.*

L. 1. de
clom.

QUOT SINT POLITIAE Genera.

CAPVT II.

DE ciuilium gubernationum generibus, veteres ambiguè & obſcurè philoſophati ſunt, neque omnes idem docuerunt. D. Aug. l. 19. de ciuitate Dei Cap. 21. ſententiam refert Ciceronis, qui lib. 3. de reſpublica, ſex fecit genera rerum publicarum, regnum paucorum, optimatum imperium, & vniuerſi populi, tyrannidem iniuſtorum, optimatum factionem, & iniuſti populi tyrannidem. Polybius libro 6. ſex conſtituit Politia genera, Regnum, Ariſtocratiam, Democratiam, Monarchiam, Oligarchiam, Ochlocratiam,

Plato in Politico ſeptem ponit. Duo

nimirum genera Monarchiæ, Regnum & tyrannidem; duo etiam imperii paucorum, Ariſtocratiam & Oligarchiam: multorum imperii, item duo; ſed vno nomine Democratiam iuſtam & iniuſtam: poſtremò ſeptimam proſus eximiam, & à prioribus maximè differentem, ſapientia, peritia, iuſtitia, bonoque communi definitam. Quanquam Plato alibi quinque facit genera rerum publicarum, regnum & Ariſtocratiam (quæ tamen genera verbis duo, re vnum eſſe ait lib. 5. de reſpub. ſub finem) Democratiam, Oligarchiam, Timocratiam & Tyrannidem l. 5. 8. 9. de reſpub. ſiquidem regno tyrannidem & timocratiam oppoſuit: eo quod regnum non vno modo conſiderauerit; ſed quatenus regi aſſident optimates dignitate pares, ad res getendas, quaſi Ephori. In hac enim regni forma (quam Cretenſem ſiue Laconicam vocat) æpe ebulliunt φιλοτιμία æſtus & ambitioſa dominandi libido, vnde παράδειξις ſiue perturbatio, quæ dicitur μικροκρατία, non tam à rege ortum habens, quàm ab ambitioſis optimatibus.

Sed miſſis aliorum opinionibus doctrinam ſequar vnius Ariſtotelis, qui gubernandi ciuiles formas diſtinctè ac perſpicuè v. detur expreſſiſſe cap. 5. vel vt aliis placeat 7. l. 3. polit. vbi definita prius reſpublica, eius ſtatim formas ac genera explicat luculenter.

Reſpublica igitur ad Ariſtotelis mentem, vel recta eſt, vel praua, iuſta vel iniuſta.

Recta ea eſt, quæ ad commune bonum publicamve vtilitatem, bonis ac conuenientibus inſtitutis tendit & ordinatur.

Praua, quæ ad libidinem eorum, qui imperant, inſtituta, priuata ipſorum commoda procurat, neglecto communi bono, legibusque violatis.

Recta reſpublica in tria genera diuiditur.

Primum genus eſt βασιλεία, ſiue regnum; ſecundum, Ἀριστοκρατία ſiue optimatum poteſtas; Tertium πολιτεία ſiue Reſpublica. Quæ diuiſio colligitur eſſe legitima, quòd totidem debeant eſſe reipublicæ genera, quot ſunt iuſti ciuitatis adminiſtrandæ modi; vel vt alii volunt, quod duplex eſt πολιτεία (πολιτεία autem eſt id in quo conſiſtit principatus & imperii ſumma) atqui iuſti illi modi tres ſunt, non plures non pauciores, vel vt alii explicant, tria ſunt in quibus reipublicæ principatus conſiſtere poteſt. Velenim imperii ſumma ſiue principatus eſt penes vnum, vel penes paucos etiam tres, vt penes triū viros, vel decem vt decem viros Romæ; vel denique penes multos. Si penes vnū ſit principatus, erit βασιλεία ſiue monarchia: ſi penes

Ariſt. &
polit. c. 5.

si penes paucos, eosque optimos, Aristocratia; si penes multos, siue omnes, erit politia. Dūmodo (inquit Aristoteles) ille vnus, illi pauci, illi multi publicæ vtilitatis causa præsent, nec studeant priuatis commodis. Alioqui gubernatio deprauabitur, totidēque iniustæ & corruptæ respublicæ pullulabunt, tribus illis reētis contrariæ. Nam si Monarchia à publica vtilitate deflectat, suisque rationibus & commodis tantum cōsulat; tyrannis orietur, regno opposita. Si pauci illi potentiores atque optimates, neglecto publico bono, suum quærāt, auctoritatemque ad se rapiant, nascetur Oligarchia, procerum imperio siue Aristocratia repugnans. Si denique popularis multitudo tā iniuste imperet, vt nō omnibus sed pauperioribus consultū velit: rēque omnē gerat per fas, vt aiūt, & nefas, fiet Democratia siue Ochlocratia Reipublicæ contraria.

Sed ad huius doctrinæ clariorem intellectum, placet singula rerum publicarum siue gubernationum ciuiliū; tam iustarum quam iniustarum genera, singulis definitionibus, peculiari capitulo explicare.

Quomodo definiatur Monarchia, Aristocratia, Politia, Tyrannis, Oligarchia & Democratia.

CAP. III.

HOMO natura politicū animal est & societatis amans, inquit Aristoteles. Ideo solitudinem & agros fugit, & vrbes quærīt, vt cū multis viuat commodius, honestius, felicius. (qui enim in solitudine viuit, ita vt reliquorum hominū societate & cōmercio nō egeat, vel Deus est, vel fera.) Necesse est autem in vrribus siue ciuitatibus quendā esse parendi & imperādi ordinē. Alioqui magna eaque perpetua esset rerum perturbatio, neque ciues optatū ciuiliū societatis finem, quæ beata vita est, vnquā consequerentur. Quare in ciuitate regitur homo vel regitur; paret, vel imperat. Regiminis autem forma vel iusta est vel iniusta, vt ante dixi. Vtraque triplex. Si enim iusta in tria diuiditur genera; iniusta in totidem diuidetur: iuxta legem philosophicam, quot modis dicitur vnum oppositorum, totidē & alterum dici debet. Ecce igitur singularum gubernationum singulas definitiones. Prima iusta est Basileia, siue Monarchia (quanquā Monarchiæ nomen communius videatur nomine basilias, si textum Aristotelis expendamus. Interdum enim Monarchia, Imperium vnus absolutē significat, siue is iuste dominetur, siue iniuste, siue rex sit, siue tyrannus: Basileia autem semper regnum vnus iustū denotat) Latinis regnū, & definiatur Politia siue iustū illud imperiū,

A in quo vit vnus, isque bonus, prudens & fortis, electione vel successione princeps constitutus dominatur, summāque gubernandæ ciuitatis auctoritatem solus habet; Cui resistere sit nefas, flagitiosum, sacrilegum. Monarchia enim virum vnicum postulat, eumque optimum, prudentissimum, fortissimum. Quippe Rex cum sit viua imago Dei, qui supremus est mundi Monarcha, ipsius bonitatem, sapientiam & iustitiam, quoad fieri potest, debet imitari: alioqui à perfectissimo suo exemplari deflectens honorificentissimum regis titulum amitteret, in tyrannum degenerabit, seque odiosum subditis reddet. Quæ enim gens, quæ natio, viros impios, pessimos, ignauos, crudeles, furiosos, stultos, ac mentis, consilii rationisque impotes ferre posset? & quomodo is aliis posset imperare, virtutisque exemplo proficere, qui suis cupiditatibus imperare non posset,

Regis ad exemplum totus componitur orbis.

Quanquam non ierim inficias, deberi principibus etiam dyscolis, obedientiam. Hanc enim diuina lex expressè præcipit, *obedite præpositis vestris*, inquit Diuus Paulus, *etiam dyscolis*.

*Claudius
5 conf.
Hem.*

Sed hæc dyscolia, quæ nihil est aliud quàm morum difficultas; siue fastidiosa morositas, impietatem, sæuitiam, furorem, insaniamque perpetuam non inuoluit: quæ omnia cum simul in principe reperiuntur, cum lex ipsa naturalis à Monarchica potestate deturbat. Lumen enim naturæ docet, ius imperii ad meliores ac præstantiores pertinere; vt Aristoteles & Plato prodiderunt.

Debet Rex non vi regnum vsurpare, inuitisque subditis omnibus: *sed electione aut successione constitui*, vt volentibus imperet, quod ideo in definitione notatum est. Regia enim potestas similis est imperio paterno, in quo suauiter liberos regit & educat pater, non herili siue despotico, in quo herus ad libidinem seruis imperat, eosque ad id quod vult etiam vi adhibita cogit. Quare optimi quique reges, vel electione, vt Imperator Romanus, Rex Poloniæ; vel successione, vt Rex Galliæ, Rex Hispaniæ, Rex Angliæ constituuntur.

Eutra autem regum constituendorum ratio præstet, non est huius instituti explicare. Hoc vnum dixerim, apud Gallos successione, tantam vim & auctoritatem obtinuisse, vt si reges non nascerentur, regni tollerentur fundamenta. Regem enim non agnoscunt Galli, nisi qui regi succedat. Quod certè longe tutius est, vtilius, præstabilius, honorificentius & bono Gallorum genio accommodatius, quibus nasci reges magis placet, quàm eligi.

Summa porro authoritas penes unum esse debet. Alioqui non esset imperium unius, huic vero regis authoritati resistere, non tantum crimen est, sed impium ac nefandum sacrilegium. Reges enim à Deo sunt, ut à primo rege, & regum ipsorum rege, vindice, custode. *Nolite tangere Christos meos*, id est reges unctos. *Cor regis in manu Dei est*, ut est in scripturis sacris, in quibus etiam sacerdotium regale dicitur, quia regium epithetum personae sacrae convenit, rexque & sacerdos augusti sunt & sacri.

Secunda est Aristocratia, definiturque imperium, in quo, pauci optimates, boni, fortes ac prudentes viri ita dominantur, ut omnia ad communem referant utilitatem. Sic apud Romanos Aristocratiam fuisse aiunt, cum decemviri cessante senatu rempublicam gererent: Apud Lacedaemonios, cum Ephori civitatem administrarent, sic appellati quod bono publico prospicerent, ἐφοροι enim prospicere est siue providere. Dicitur vero Ἀριστοκρατία quia est ἀρίστοι κράτος optimatum potestas, ut μοναρχία, quia est ἓν μοῖν ἀρχή unius imperium. In Aristocratico autem statu paucitas optimatum magno opere commendatur, ut in curandis agris paucitas medicorum. Multitudo enim confusione parit. Turba medicorum interfecit regem, ut dicebat Imperator Adrianus: certe deterior longè videtur turba procerum, qui sunt tanquam reipublicae medici, ideo in definitione apposui, *In quo pauci optimates. Adde quod rari boni, & vix numero totidem quot Thebarum porta & diuitis ostia Nili.* Pauci inquit Aristoteles, excellenti virtute praestant, quales Aristocratia requirit, quae civitatis bonum perpetuè in oculis habet.

Tertia est, quae nomine generis vocatur Politia, Latine respublica; definiturque imperium in quo populus tam iuste dominatur, ut omnia referat ad totius civitatis utilitatem.

Circa hoc tertium genus, annotavit Aristoteles, non sine causa rempublicam siue Politiam communi omnium formarum nomine appellari; quia proprio carere videtur (quanquam nonnulli Democratiam vocant, sed hoc vocabulum in malam partem ab Aristotele sumitur, cum scilicet Democratiam opponit ipsi Politiae.) Ut enim propria ratio popularis regiminis ignota fuit veteribus, etiam Platoni: nempe quia rarissima est, vixque accidit ut tam multi in omni virtute sic excellant, ut bonum spectent publicum, nemoque è populo, à publica utilitate deflectat: Ita & proprium talis regiminis nomen incognitum fuit, unde commune & genericum usurpari oportuit. Nisi forte haec alia ratio proferatur, quod plura sint negotia & res, quam vocabula. Inquit Iurisc. libr. 4. natura: §. de praescript.

verb. Porro in hac tertia iusti regiminis forma, necessum est populum, per viros aliquot prudentissimos ac diligentissimos, regere, ut per tribunos plebis, qui ius populi vindicant ac defendunt: alioqui magna rerum confusio facile induci posset.

Haec ergo sunt rectarum rerum publicarum definitiones, è quibus facillimum erit pravas intelligere. Virtus enim vitiorum, & rectum norma est seu regula pravi & obliqui; ex 3. ethie. cap. 5.

Primae igitur Politiae, quae regnum est, opponitur è diametro Tyrannis, quae definitur vitiosum ac iniustum imperium, in quo vir unus impius, furiosus, amens, infans, ferox, diuinarum & humanarum legum contemptor, & libertatis oppressor, pro libidine dominatur, & non commune bonum, sed propria tantum commoda spectat & intendit. Sic Mahumetanorum siue Turcarum imperator Tyrannus est, ut & princeps Moscovitarum.

Secundae quae Aristocratia est, opponitur Oligarchia, & definitur iniustum ac vitiosum imperium, in quo pauci potentes ac locupletiores contemptis laesisque caeteris, insolenter ac pro libidine imperant, suamque non publicam procurant utilitatem. Iniustum hoc imperium passa est, ut aiunt, Roma, in triumviratu Octavii, Anthonii & Lepidi, qui oppressa iam republica ut tyrannidem honesto aliquo velarent nomine, Trium viros reipublicae constituenda causa, se dici voluerunt: Sed tamen in Oligarchiam degenerarunt. Quod nomen licet ex vi sua ἐλιγών ἀρχή paucorum imperium significet, per istos tamen paucos intelligi debent locupletiores, insolentiores & factiosi.

Tertiae, quae Politia est, opponitur Democratia. δημοκρατία populi potestas. Quod nomen licet ex vi significationis, populi potestate siue iusta siue iniusta significet, imo & interdum ab Aristotele pro iusto dominatu multorum accipiatur, proprie tamen in malam partem assumitur cap. 5. li. 3. polit. & cap. 2. lib. 4. His enim locis Democratiam Politiae, quae est tertium genus, opponit Aristoteles, ut iniustam ac depravatam. Definitur ergo Democratia siue Ochloeratia, vitiosum imperium in quo popularis confusaque improborum hominum multitudo ad libidinem dominatur, sine iustitia, sine lege, per caedes potentiorum, publica que latrocinia, omnia miscens ac perturbans. Hanc imperandi formam, quia forma omni caret, summamque rerum aduehit perturbationem, quidam ἀναρχία malunt appellare; quae est omnis regiminis destructio, alii ἐχλοκρατία, quae imperitiae ac insolentis multitudinis seu turbae iniustissimum dominatum significat.

Quenam sit gubernationum Ciuiliū optima ac præstantissima.

CAPVT IV.

POLITICORVM ingenia, diu multumque exercuit grauis hæc quæstio, atque in varias distraxit sententias; vt certè singulæ gubernationum formæ, suos authores & fautores habeant. Multis placuit multorum, imò omnium, dummodo optimi sint, potestas, quàm supra Politiciã siue rempublicã vocauimus. Nempe quia plus prudentiæ inest multis, iisque bonis, quàm vni: & in multitudine vnita vis est maior & efficacior. Multitudo igitur potius quàm paucitas bonorum ciuitatem reget. Licet enim meliores non sint viri singuli, sunt tamen optimi collectim vniuersi.

Pro Imperio multitudinis disputat Aristoteles cap 7. li. 3. polit. Vt cœna, inquit, lautior est & vberior, quæ multorum sumptibus symbolisque, quàm, quæ vnus impensis apparatus: Sic prudentia multorum melior est, paucorum iudicio. Si bonus vnus, duo boni erunt meliores. Plus vident oculi, quàm oculus.

Multorum manibus grande leuatur onus.

Vox populi, vox Dei. Vt plures musici de harmonia meliùs iudicant, quàm vnus: & de arte poëtica, vniuersi quàm singuli: Sic proborum sapientumque multitudo prudentiùs feliciùsque ciuitatem gerent, quàm vnus, aut duo vel tres boni.

Sed quia vix vnquam contingit, vt multitudo popularis adeo prudens sit, iusta, perfecta, vt bonum publicum perpetuè meditetur: ideo populi gubernatione idè minuit Aristoteles, & optimates paucos, honestos scil. viros, bonos, fortes, prudentes, rebus ipsis verè pulchris, popularem verò turbam imaginibus comparauit. Et quia aliquid cõcedendū populo videtur, consultationes, iudicia & electiones, populo relinquendas esse voluit summus Philosophus, non tamen supremum magistratum summamve imperii, nepe quia ars imperandi, virtutes eximias, sapientiã, peritiã, prudentiam, iustitiãque summã postulet, quæ ab imperita multitudine quã longissimè absunt. Solon & alii Legislatores, populum magistratibus eligendis & censendis præfecerunt, singulos tamen è populo imperare nõ permiserunt. Quia colit etã saltè omnium, si nõ diuisa singulorum multitudo, multum sensum habet, faciliùsq; iudicare potest, an hic aut ille magistratui sit idoneus, quàm ipsa magistratum gerere possit. Ad iudiciũ enim nõ semper requiritur adeo exacta rerum scientia, cũ sæpe incola de domo meliùs iudicet,

A quàm Architectus; conuiuia, de cibo, quàm coquus. Creet ergo, eligat, constituatque popularis multitudo reges, summosq; magistratus, ipsa tamen non satis commodè, peritè, sapienter rempublicam poterit administrare.

Ad imperandum ergo melior, tutior, & excellentior plurimis visa est Aristocratia, potestas illa optimatum, quæ nimirum ad viros selectissimos, optimos, prudentissimos, sed paucos reuocetur. Non enim, inquit, in Aristocratia popularis multitudinis confusio timenda est; non vnus hominis præceps ac temerarium iudicium, fauor, sæuitia, libido subeunda. Omnia ab optimis prudentissimè ac fortissimè geruntur, sine motu, sine metu, quasi res in deorum concilio ageretur. Neq; id mirum esse debet. Nã maior in Aristocratia quàm in Monarchia cernitur prudentia, estque in optimatibus magis vnita vis virtutis, ideoque fortissima & inexpugnabilis, quasi fasciculus ille telorum, quem bene cõpactum & ligatum, octoginta filii Scyluri frangere non potuerunt. At vnus vir, nullus vir. Et facilius est vnus peccare, quàm multos. Multi verò turbam faciunt. Aristocratia ergo *ἀριστοκρατία* Imperium est optimum ac omnium præstantissimum. Romanum imperium meliùs habuisse aiunt, cum reges eiectione fuerunt pessimè cum Iulius Cæsar perpetuam dictaturam, quæ est regnum quoddam, inuasit. Fuit profectò Romanis nomen regis inuisum ac exosum. Sed & regibus expulsis senatum Athenæ, Carthago, Lacedæmon, aliaque permultæ ciuitates instituerunt: at Senatus, ordo est optimatum. Interrogatus à Pyrrho rege Epirotarum Cineas, quid sibi de Romano senatu videretur, respondit se, quot senatores viderat, tot reges vidisse: Imò augustissimum illum senatum, sibi deorum quendam confessum visum esse. Denique Aristocratiam ciuitatibus maximè vtilem, imò Monarchiam vtiliorem esse ait Aristoteles cap 11. libro 3. polit. quod ante ipsum Platò docuerat, qui formam reipublicæ optimam eam esse putauit, quæ inter Monarchiam & popularem dominationem media est. Et hæc quidem proferri vulgo solent argumenta, pro Aristocratico regimine.

At sanè si rem accuratiùs expendamus, & litem ad sapientiæ & veritatis tribunal transferamus, hominumque sapientissimorum iudicia meliora sequamur, Monarchia omnium gubernationum ciuiliū prima est & præstantissima. Si enim Aristocratia hinc laudè habet, supra populi dominatū: quod in illa ad prudentiam pauciorum, vnde maior existit concordia, omnia referantur: quidni & Monarchia omnium prima optimaque censebitur, quæ rem omnem ad

vnus eiusque optimi, prudentissimi, fortissimi, id est regis Imperium reuocabit, Frustra fit per plura quod æquè benè potest fieri per pauciora. Vnus rex, si modo regis officio præclare defungitur, est instar omnium: præsertim si in rebus grauioribus consilium audiat optimatum. Neq; enim regia idcirco minuitur auctoritas, quod optimates in consilium aduocet, cum summa rerum semper stet penes regem, & optimatum potestas ab vno rege depēdeat: vt nullo modo regni consortes dici possint, licet regi sint à consiliis.

----omnisque potestas

Impatiens consortis erit.

Fraterno primi maduerunt sanguine muri.

Si duo velint esse soles, periculum est, ne incendio omnia misceantur. *εἰ δύο οὐρανοὶ ἦσαν, κινδυνὸς πᾶσι τὰ συμφερόμενα διαφθερῆσαι.*

Sed & Monarchiæ, pondus & auctoritatem addit antiquitas. Certum enim est, omnes antiquas gentes regibus primùm paruisse, inquit M. Tullius. Hoc in terris nomen Imperii primum fuit, inquit Salustius. Principio rerum, gentium, nationumque Imperium penes reges erat, inquit Iustinus. Urbem Romam à principio reges habuere, inquit Tacitus. Profectò regna firmiora sunt & diuturniora, alio quolibet regimine. Vt enim antiqua quæ diutissimè floruerunt, prætermittam; nonne Galli Monarchiæ amatores, & vindices, plusquam 1200. continuos annos vnus dominatum sceptrumque coluerunt? Hispani plusquam 860? Sed & Angli & Scoti ab initio Monarchiam fortiter defenderunt. Imò verò Aristocratiæ & Politia stare non possunt, si subsidiis Monarchiæ aliquatenus non muniantur. Lacedæmonii præter suos Ephoros, vnum Præfectum habebant; Athenienses præter suos censores vnum Sophum; Carthaginenses præter suos Cosmos, vnum iudicem; Romani præter suos Consules, vnum Dictatorem. Denique Venetorum status qui hodie Aristocraticus existimatur, vno duce floret ac sustinetur. Quis ergo non videt præstantiorem esse ac meliorem Monarchiam Aristocratiæ & Politia?

Quod si regiminis dignitas & perfectio ex ordine exquisito, vt par est, æstimetur; profectò, primas etiam vel hoc iure Monarchia obtinebit. Nam in populari statu vix ordo seruat, in quo scilicet omnes præsent. In Aristocratico autem minor quam in Monarchia ordo reperitur: licet enim in Aristocratico statu, populus optimatibus subiiciatur; inter ipsos tamen optimates, ordo nullus intercedit: cum sint omnes æqualis potestatis, & par in parem non habeat imperium. At in Monarchia ordo cernitur admirabilis, cum

A rex vnus imperat, reliqui obtemperant.

Quemadmodum verò aiunt Aristocratiæ defensores, vnum facillè peccare, sic nos facilius esse dicimus cum Aristotele 1. & 3. polit. vnum virtute excellere, quàm plures. At ille vnus rex est & Monarcha. Esto Aristocratiæ quasi deorum concilium, est tamen vnus, qui omnibus præest, quasi rex. Sunt verò reges Dei viuæ imagines, & quasi dij quidam inter ceteros homines.

ὁ βασιλεὺς ὡς θεὸς ἐξ ἀνθρώπων inquit Plato, *ὡς δὲ θεὸς βασιλεὺς*, ex Ioue sunt Reges, inquit

B Callimachus. Homerus verò vocat *διογενεῖας βασιλῆας* Reges à Ioue educatos & institutos. Sed disertè Plato in polit. & Aristoteles c. 2. li. 4. polit. Monarchiam Gubernationum omnium præstantissimam ac diuinissimam esse docuerunt; Quippe quam sapientissima natura mirè affectet, vt omnium optimam. Nōne apes Regem habet & colunt? nonne leo rex est quadrupedum, Delphinus piscium, Aquila avium, oliua arborum, adamas lapillorum, aurum metallorum, ignis elementorum, prima sphaera caelorum, Sol syderum & planetarum? Si vnus est in familia Herus, nec possit

C quisquam, vt dixit Christus Dominus, duobus dominis seruire; si ab vno gubernatore regitur nauis, quidni & vnus erit in ciuitate Monarcha, cui omnes obtemperent? vnum imperii corpus vnus animo regendum videtur, inquit Tacitus primo annaliū. Deniq; perfectissimum est humanum illud regimen, quod ad diuinam Politiam magis accedit: at verò Monarchia humana ad diuinam politiam maximè accedit: hæc enim vera Monarchia est, cum sit Deus vnus & summus Monarcha, rex regum, dominus dominantium, rerum omnium director & arbiter. Monarchia ergo omni alia Politia erit perfectior, quod rectè concludit Homerus *ὄχι μίετος ἔστω, ἴτε βασιλεὺς* Vnus herus esto, vnus Rex. Sed quoniã humana Monarchia magnoperè iuuatur optimatum opera & consilio, locum quendam optimatibus dandum esse putant sapientes: Ita vt ea Monarchia securior esse putetur, quæ Aristocratico regimine, aliquo modo temperatur. quod sanè voluisse videtur Aristoteles & Plato, cum dixerunt regiminis illam formam, quæ media est inter regnum & reipublicam, ciuitatibus esse vtiliorem. Nã per mediã illam formam, non puram Aristocratiæ, sed regno mixtam, ipsique regi subiectam intellexerunt, quæ gubernandi forma procul dubio omnium prima est ac præstantissima. Verum de Politia plus satis medico.

D Restat vt tertio libello doceamus ad quodnam Politia genus maximè pertinet, & in quibusnam officiis consistat vniuersa corporis humani gubernatio.

Restat vt tertio libello doceamus ad quodnam Politia genus maximè pertinet, & in quibusnam officiis consistat vniuersa corporis humani gubernatio.

* * * * *

ARISTOCRATIÆ HVMANI CORPORIS LIBELLVS TERTIVS.

*De Propria ipsius Humani Corporis Politia
& administratione.*



ARISTOMACHVM Solensem & Hyliscum Thasium doctos insignesque physicos refert Plinius, tanto apum **B** amore captos fuisse; vt ille

quidem in earum natura contemplanda, duodesexaginta annos consumpserit; hic verò in desertis agris, alucaria coluerit, & vrbes fugiens hominumque consortia (Agrius ideo cognominatus) apum ingenium indolemque studiosè indagauerit: & ambo de natura apum libros ediderint. Mirum hoc fortasse videbitur, quòd in insectis & vilioribus animalculis, tantum operæ ac temporis viri sapientes posuerint: cum maiora alibi miracula exhibere natura videatur: cum turrigeros elephantorum humeros, taurorum colla & truces in sublime iactus, tigrium rapinas, leonum iugas, aquilarum volatus, aliæque plurima liceat admirari. At Hylisci & Aristomachi diligentiam ac studium mirari desinet, laudabitque potius curiosam patientiam, qui non quidem corpuscula & paruitatem apum inspiciet (quanquam Apes & insecta omnia vocet Plinius immensæ subtilitatis animalia, & nusquam magis, quàm in minimis rerum naturam totam esse dicat.) Sed qui earum ingenium, instinctum ve considerabit pœnè incredibilem: quo videlicet exilia hæc animalcula, simul in vimineis aluearibus ac cellulis hexagonis, ipsorū arte extructis quasi in ciuitatibus & familiis congregata, eo ordine ac prudentia sub vnius regis Imperio viuunt, vt perfectæ alicuius reipublicæ formam sequi ac referre videantur. Enimverò vni Monarchæ, eiq; pulchriori & proceriori obediunt apes. Inter eas, ordines sunt nobilium regem comitantium; ab ignobiliori & plebeia multitudine distincti. Variis varia distribuuntur officia. Aliæ enim rura & agros peruolitat, floribusque legendis vacant: aliæ toridæ aquæ guttulas afferunt: aliæ aliarum onera excipiunt: aliæ alueariū portas custodiunt, perpetuasque agunt excubias, quasi ciuitatis custodes: aliæ mel & ceram conficiunt, aliæ fauos læuigant ac poliunt, aliæ aliis muneribus incumbunt, tantaque prudentia omnes vtuntur, vt vna apum respublica homines ipsos possit ad politicū ordinē diligenter seruandum ac retinendū incitare.

A Non hic de apū republica dicere instituo, quæ alioqui viros magnos & sapiētissimos detinuit. Maius opus moueo, & grandioribus plenū miraculis, quæ quisquis curiosa patiētia obseruauerit, is non ad apū quidē, sed ad naturæ humanæ perfectiorem notitiā perducetur, atque ad Dei Opt. Max. cultū & amorem facilè accendetur.

Scilicet Politia est parui mundi, siue humani corporis regimen, propriaque administratio planè diuina, planè admirabilis, cuius rationem ac modum eximiumque ordinem ac speciem (vnde status, sanitas, vigor, pulchritudōque humana existit) hoc libello aperire, ac declarare proposui. Quæ quoniam sine corporis partibus & organis explicari non possunt, quæ, quot, & quales sint illæ partes (si modò plures esse constet) docebo; quarum scilicet opera stet & administretur humana respublica. Item in quibusnam officiis consistat ille partium principatus, quæ sint earum vires, temperamenta, functiones, instrumenta, fines. Quibus omnibus expositis, tum demum innotescet admiranda illa humani corporis Aristocratia.

C Quæramus ergo in primis.

*Ad quodnam Politie Genus pertineat propria
humani corporis Gubernatio.*

QVÆSTIO VNICA.

DVOBVS modis spectari potest Humani corporis gubernatio. Primò quatenus corpus ipsum cum anima comparatur; quæ vna & sola summo suo imperio regit & administrat corpus, ei tribuendo esse, viuere, sentire, moueri, intelligere. definitur enim anima id quo primò viuimus, sentimus, loco mouemur & intelligimus.

*Arist. l. 2. c. 2
de an.*

Secundò vt partes corporis inter se mutuo conferuntur: putà cor cum pulmonibus, arteriis, liene & reliquo corpore: Item Hepar cum corde ipso, pulmonibus, liene, renibus, venis & cæteris. Partes enim inter se comparatæ ordinem quendam dignitatis habent, ita vt minus præcipuæ ac ignobiles ab aliis præcipuis ac nobilioribus regi videantur, & tanquam à suis principibus dependere.

Regi autem ab alio, quantum ad præsens institutum pertinet, nihil aliud est, quàm necessaria & superiori alterius virtute consistere, conseruari & moueri ad opus finēque suū. Sic cor pars est rectorix & præcipua, quia cordis virtute reliquæ partes consistunt, viuunt, conseruantur, & ad opera finesque suos diriguntur: ita vt deficiente virtute ac influxu cordis, reliquæ partes earumque motus, functiones & officia deficiant:

Non secus atque ipsa abeunte animâ, corpus exangue iacet, fitque cadaver.

Cum ergo corporis gubernatio duobus illis modis fieri intelligatur: vel comparato corpore cum anima: vel partibus inter se collatis, quarum alix ab aliis reguntur; Corporis humani Politiam ac gubernationem ex parte animæ ad Monarchiam esse referendam docebo priori capite huius quæstionis: ratione verò partium inter se comparatarum (quæ speculatio maximè medica est) In posteriori capite demonstrabo, ad Aristocratiam pertinere.

HUMANI CORPORIS PROPRIAM Politiam, ex parte animæ, ad Monarchiam esse referendam.

CAP. PRIVS.

ESSE in humano corpore exquisitæ gubernationis formam, atque ordinem politicum optimum ac pulcherrimum, nemo est à recto sensu & Philosophico iudicio tam alienus, qui non agnoscat & confiteatur. Hoc docet non tantùm animæ in organicum corpus naturale Imperium, formæ vis & efficacia in materiam, actus in potentiam; (præsider enim ex lege naturæ anima suo corpori, forma materiæ, actus potentia: adeo ut organicum corpus ab animâ vitam habeat, sensum, motum, omnemque agendi vim & energiam; materia per formam subsistat, atque ad certum entis Physiici genus, alioquin ex se indefinita, definiatur; potentia denique per actû perficiatur) sed & partium ipsarum è quibus humanum corpus constat, ordo mirificus, & officiorum functionumque ratio dispar id ipsum ostendit. Quam si quis attentè consideret, partes alias, aliis præesse, alias aliis subesse & obsequi facillè intelliget; Atque adeo vna aliqua sit pars nobilissima, vel plures, quasi principes, totiusque corporis rectrices: Aliæ verò ab illis suauissimè gubernentur, quasi subditæ illarum potestati ac dominio; nullaque prorsus existat particula, quæ consentanea quadam functione vel vsu prædita, ad commune bonum (vt in bene moratâ ciuitate fieri solet) non tendat aut conspiret. Quis enim nescit in corde vitæ principatum consistere? Quo nempe valido ac bene habete, neque impedita illius virtute & influxu, rectè semper habeat vita, atque adeo totum corpus vigeat; eodem verò corde languido ac deficiente, vires statim omnes deiciantur, totumque corpus necessariò elanguet? Quodd sanè contingere non solet, si abradantur capilli, secentur vngues, abscindantur auriculæ, summa cutis pungatur aut vulneretur, pedes & manus arthritide cru-

Acientur; imò etiam si crura interdum aut tibiæ frangantur. Vt vel ex hoc vno, cordis cum aliis partibus comparati exemplo, inter corporis partes, ordo quidam politicus elucescat. Et certè vt se habet nauclerus ad nauim: ita se habet anima ad corpus, inquit Aristoteles: At gubernat, mouetque nauim nauclerus; quidni ergo & anima corpus suum quasi nauem, in qua ipsa continetur, reget & gubernabit?

Politiam idem Aristoteles *βίον πολιτικόν* vocat *vitam ciuitatis*. Quidni & ordo, rectaque ratio, quam seruat anima in informando, mouendo, regendoque corpore, Politia vocabitur? Sed & doctissimus Galenus, libello an omnes particulae foetus simul fiant, perfecti animalis particulas, quarum vsus est aut actio, ait rectè ac congruenter politicæ ordinationi assimilari. Non est igitur, quod quispiam de humani corporis politia & gubernatione iure dubitet: præsertim cum paruus mundus, compendium sit magni & ad spectabilis mundi, qui secundum perfectissimæ politicæ genus, nempe Monarchiam exquisitissimam, ab vno summoque Deo administratur.

CTota igitur quæstio est de forma siue genere politicæ. Cum enim tria sint iustæ politicæ genera, vt ex secundo libello constat, Monarchia, Aristocratia, & quæ absolute Politia dicitur; necessum est ad vnum istorum generum, humani corporis statum ac regimen reuocari. Neque enim audiendus esset is, qui iniusti alicuius regiminis genus aliquod, vt Tyrannidem, Ochlocratiam, humano corpori tributum esse affirmaret. **D**Sic enim & sibi ipse, & naturæ, & Deo iniuriam faceret, à quo non humanum duntaxat regimen constitutum fuit, sed & vniuersæ naturæ leges sapientissimè fuerunt stabilitæ. In homine igitur politiam esse liquet, eamque rectissimam ac iustissimam.

Sed an Monarchica sit, an verò Aristocratica, prisci sapientes magnoperè controuersati sunt: & cum gubernationum infima sit ea, quæ nomine generis Politia dicitur, duxque illæ priores formæ meliores sint ac præstabiliiores, ita vt vtraque propriam habeat commendationem, insignisque prærogatiuas; alterutram harum viri docti humano corpori adiudicarunt.

Atque ij quidem, qui plures animas in corpore esse defenderunt (quod fuisse Manichæorum dogma refert D. August. qui duas animas in homine cõstituebant, perfectã vnã, omnisque culpæ expertem, vt pote diuino satù editam, & quandam ipsius Dei particulam, alteram vitiorum labe inquinatam, & à principio quodam mali auctore creatam) plures etiam principes corpori dominâtes necessariò adstruxerunt. Cû enim anima sit corporis domina & rectrix,

Li' r. 2. de An. c. 1.

Libr. 4. Polit. c. 11.

Lib. 10. in Gen. ad lit. c. 13. lib. 6. contra Faust. c. 8. l. de duabus Ani. c. 11.

imò & essentialè complementum; si plures sunt animæ, plures etiam erunt principes, atque adeo corporis politia Aristocratica erit, non Monarchica. In hanc sententiam trahi possunt Plato, qui tres homini animas, rationalem in cerebro, irascibilem in corde, concupiscibilem in hepate, ex triplici operatione vitæ, ratiocinatione, irâ, nutritione, videtur tribuisse. Ut ex Timæo, & l. 4. & 9. De Repub. colligitur: Item Philo Iudæus referente Auicenna l. 6. nat. p. 5. c. 7. imò & ipse Galenus l. quod animi mores &c. & lib. 7. de decret. Hipp. & Plat. vbi se animarum ternitatem, contra Aristotelem demonstrasse gloriatur. Quanquam non tam de animarum reali discrimine, quàm de facultatum varietate, hi auctores explicari possunt. Quâ de re alibi disputatur.

Sed cum certo certius sit, tam secundum fidei oracula, quàm secundum philosophiæ naturalis decreta, vnicam esse in humano corpore animam, eamque rationalem, licet pluribus, ad diuersa vitæ obeunda officia, facultatibus instructam; Planè etiam indubitatum est, Politiam humani corporis, ex parte animæ spectatam, veram esse Monarchiam. Quod sic breuissimè demonstro. Ea politia verè Monarchia est, in quâ vnus iustum tenet principatum: atqui in politia humani corporis vnica anima, nempe rationalis, iustum tenet principatum: ergo Politia humani corporis, vera est Monarchia. Maior propositio continet definitionem Monarchiæ ex c. 5. 3. Polit. petitam. Minor fide constat, & naturali Philosophiâ, quæ suam cuique homini animam concessam esse docet, vniuerso corpori sic dominantem, vt illius sit essentialis perfectio, actus, ἐπιπέδω. Mouetur enim regiturque corpus totum ab vna anima, nullaque planè in corpore vis aut facultas inest, quæ ab anima, vt à fonte ac principio actiuo non deriuetur & emanet. Sic enim docent Philosophi omnes cum suo principe, ad libros de anima. Vt enim corpus quod se habet vt materia, principium est passiuum, & causa subiectiua siue materialis, simulque instrumentum animæ deseruiens, sine vlla propria vi agendi: Sic anima principium actiuum est, & causa formalis, imò & respectu operationum, adeoque & facultatum, efficiens: respectu autem ipsius corporis, causæ finalis titulum sibi vendicans, cum corpus animæ gratia conditum sit, vt palatium propter principem, ex c. 4. l. 2. de an. Vt igitur primo motori summus mundi principatus debetur, quia sic cælos mouet, vt se potentiorem, superioremque causam non agnoscat, imò nec æqualem: Sic & vni animæ, corpo-

ris principatus omnino deferendus est: quæ scilicet vnica sit humani corporis forma, nullamque quoad informandi munus, causam agnoscat superiorem, imò nequidem æqualem: cum duæ non possint in vnico corpore animæ demorari. Cum igitur vnica sit anima in corpore, solâque ei iure naturæ dominetur, vt princeps subdito; principatus animæ erit Monarchicus, atque adeo Politia humani corporis vera Monarchia. Quæ tamen assertio sic intelligenda est, vt status quidem humani corporis, si ex parte vnus rectoris animæ spectetur, sit omnino Monarchicus, vel saltem regiæ potestati simillimus, vt hætenus fuit demonstratum. Nam si partium, quibus constat humanum corpus, fiat inter se comparatio; Ita vt animæ summo regimine seposito, partium ipsarum, quatenus alix cum aliis conferuntur, & alix ab aliis dependent, quæratur principatus; (quod vnum discutere & examinare medicorum est maximè, qui animam sapientiori artificio, id est Philosopho, relinquentes, omnem suam operam ac studium in corpus conferunt) aliud profectò iudicium erit, longèque grauior difficultas, quæ ideo peculiarem articulum postulat, in quo & diligentius excutatur, & sapientius definiatur.

*POLITIAM HVMANI CORPORIS,
ratione partium inier se comparatarum,
debere ad Aristocratiam referri.*

C A P. II.

NE in perplexa & graui humanæ Politix causa temerè pronuntiemus, & incognitis partibus, de partium ipsarum principatu sententiam dicamus: libet imprimis de parte paucula prælibare: vt intellecta partis definitione, eiusque variis diuisionibus, honoris prærogatiuam ac principatum, pro cuiusque merito ac dignitate decernamus: & an penes vnâ, an penes multas sit vniuersi corporis administratio, clarè distinctèque definiamus.

QVID SIT PARS.

ARTICVLVS I.

PARTEM multis modis accipi docet summus Philosophus lib. 4. Sapient. cap. 25. Vbi hanc maximè partis definitionem tradit. Pars est id in quod totum diuiditur, & ex quo ipsum totum componitur.

Sed accommodatiùs ad præsens institutum l. 7. Sap. c. 11. partem definit, quæ

animata est & opus perficere potest. Sic oculus pars erit hominis, quia animatus est, & visionis officium exequitur ac perficit.

Galenus 1. Meth. c. 5. partem definit id quod totum complet atque integrat. & 1. de elementis quidquid ad humani corporis constitutionem facit. & 1. de usu partium, corpus quod nec vndiquaque circumscriptionem propriam habet, nec vndiquaque coniunctum est aliis.

Cap. 1. 12.
Phys.

Sed optimè & ad artem medendi conuenienter Fernelius, Scholæ Parisiensis lumen, Partem definit corpus toti coherens, communique vitâ coniunctum, ad illius functionem vsumque comparatum.

Enimvero ad rationem partis tria requiruntur. Primum, vt cohereat toti. Pars enim auulsa à toto non est pars nisi æquiuocè, id est nomine tenus, non re ipsa, vt omnes philosophi docent. 2. vt communem cum toto vitam habeat. Pars enim viuentis animata esse debet, alioqui animatum ex inanimato constaret, quod fieri nequit. Vnde membrum emortuum & aridum, licet alioqui toti cohereat, pars non est, sed inutile pondus, quod ideo refecari debet, non secus atque aridus ramus ab arbore. 3. vt aliquem vsum aut functionem habeat. Nihil enim est in humano corpore iners, nihil otiosum: Sed minimæ & viliores quæque particulae, ad finem quendam & conuenientem vsum institutæ sunt. sic capilli tegunt caput, ungues digitos muniunt, barba viri est ornamentum. Denique nulla est pars, quæ animæ non deseruiat ad vitæ quoddam officium: Cum totum corpus quomodocumque sumatur, animæ sit instrumentum.

DE VARIIS PARTIVM diuisionibus.

ARTICVLVS II.

6. Epid.
sect. 8.

PRINCEPS Medicinæ Hippocrates, partes humanum corpus constituentes dixit esse, vel continentis, id est solidas, nec diffuentes, sed quæ potius fluxilia & liquida corpora contineant, firmamque habeant consistentiam: vt sunt ossa, cartilagines, ligamenta, venæ, arteriæ, nerui, carnes: vel contentas, scilicet humores, qui venis, verbigratia, continentur: vt sunt sanguis, pituita, bilis, melancholia: vel impellentes, vt spiritus, qui cum sint aërij, tenues, præcalidi & leuissimi, in omnia corporis spatia, sese factò impetu, celerrimè effundunt: ita vt deficientibus spiritibus, motus sensusque omnis deficiat, vires collabuntur, ipsum-

que tandem viuens extinguitur.

Est alia celebris atque inter philosophos & medicos vsitata partium diuisio, in similes & dissimiles. Illæ sunt quæ in similes sibi particulas diuiduntur, vt os, quod diuiditur in ossa minora & minora. pars enim ossis est os. hinc partes istæ homogeneæ dicuntur, id est, eiusdem rationis & naturæ. Hæ, scilicet dissimiles, quæ in partes diuersæ rationis diuiduntur, vt musculus in carnem, fibras, membranas, neruos, venas, arterias: oculus in tunicas, humores, musculos, neruulos, venulas, arteriolas.

E similaribus fiunt dissimiles & organicae, quasi mixta ex elementis. Partem organicam & organum idem esse aiunt. Definitur verò organum pars animalis, quæ perfectam & propriam potest actionem edere, vt oculus visionem exercens, manus apprehensionem.

Omnes partes generantur ex semine, vel sanguine: quæ duo sunt humanæ generationis principia. Illæ spermaticæ vocantur, hæ sanguineæ, vel carnosæ. Inter has mediæ vocantur mixtæ, quia ex semine & sanguine creantur. Spermaticæ porro frigidiores sunt, sicciore, albiore: Carnosæ calidiores, humidiores & rubræ. Quæ verò mediæ sunt, medium quoddam temperamentum & colorem fortiuntur pro ratione mixtionis.

Similares partes decem sunt.

1. Est os, pars similis, frigida, sicca, solida, dura, sensus expers, ex terreno semine genita, vt sit partibus aliis fundamentum.

2. Est cartilago, pars similis, solida, osse mollior, carne durior, flexilis, sensus expers, ex semine crassiori, pingui, viscido genita, ad custodiam partium motui destinatarum.

3. Est ligamentum, pars similis, solida, dura, tenax, ex semine lento & tenaci genita, vt partes colliget.

4. Est membrana, pars similis lata, plana, ex semine viscido & aqueo genita, vt partes vestiatur & inuoluatur.

5. Fibra, pars similis, alba, subtilis, ex semine ductili genita, vt carnes custodiat, & motum iuuet. Sparsæ sunt fibræ, siue villi per musculos, in modum filamentorum tenuissimorum siue albarum linearum.

6. Neruus, pars similis, ex semine glutinoso, frigido genita, intus mollis & medullosa, exteriùs membranosa, ad animalis facultatis, id est sensus & motus, distributionem.

7. Est arteria, pars similis, ex semine glutinoso & frigido genita, ad facultatis vitalis, id est, caloris viuifici & spi-

rituum vitalium distributionem.

8. Est vena, pars similis, ex semine glutinoso & frigido genita, ad facultatis naturalis, sanguinisque per vniuersum corpus distributionem.

9. Est cutis, pars similis, ex sanguine cum semine mixto genita, ad omnium partium inuolucrum & custodiam.

10. Est caro, pars similis, ex sanguine genita, ad fibrarum siue villorum, quibus circumiicitur, robur.

Addunt alij pinguedinem, ex tenuiore, oleosa, & exquisitè elaborata sanguinis portione, è venis tenuioribus exudante, caloris inopia, & membranarum à quibus album colorem contrahit, frigiditate, & densitate genitam, inter cutem & panniculum carnosum consistentem. Differt pinguedo ab adipe, quod adeps non facilè liquecat & celestimè congelietur, pinguedo citò liquecat calore, nec facilè rursus concrecat.

Vfus verò pinguedinis est, partes tueri, calorem natium fouere, & in inedia conuerti in alimentum.

Ex prædictis ergo simplicibus ac similibus partibus, omnes aliæ dissimilares & organicæ componuntur, vt oculi, aures, manus, pedes, brachia, femora, venter, thorax, collum, caput.

Diuidunt etiam partes Philosophi & Medici, in calidas, frigidas, siccas, humiditas, duras, molles, densas, raras, succulentas, spongiosas, cauas, expansas, solidas, rotundas, latas, longas, anteriores, posteriores, profundas, medias, supernas, infernas, dextras, sinistras.

Sed præclarissima & huic instituto maximè accommodata partium diuisio est, in principes & ignobiles. Vt si Aristocraticam rempublicam diuideres in optimates, penes quos est ciuitatis principatus & gubernatio; itemque in populum, iplis optimatibus subditum & obsequentem.

Partes principes sunt, vt ex Gal. colligitur l. 6. de decretis Hip. & Plat. & l. 14. de vsu part. c. 1. quæ ad vitæ, totiusque indiuidui conseruationem absolutè & simpliciter sunt necessariae: vel quæ communem aliquam materiam, putà spiritum, vel sanguinem, siue etiam facultatem toti corpori impertunt. Sic cor est pars princeps, quia ad vitam absolutè necessarium est. in eo enim focus est innati caloris, quo extincto, extinguitur vita, & præterea facultatem, spiritumque vitalem vniuerso corpori largitur.

Partes ignobiles sunt, quæ principibus famulantur, neque toti corpori facultatem, communemve materiam de suo largiuntur. Sic arteriæ partes sunt ignobiles, quia cordi, tanquam principi suo mini-

strant: dum spiritum vitalem, sanguinemque purissimum & arteriosum ab ipso corde elaboratum, è sinistra eius fouea & quasi puteo hauriunt, ac per vniuersum corpus deferunt. Sic pulmones naturâ calidi, humidi, molles, spongiosi, non sunt principes partes, quia ministri sunt cordis, dum ipsum continua ventilatione, quasi flabello quodam, refrigerant.

Cor enim cum sit viscus calidissimum, perennique motu agitatum, facilè æstu incandesceret ac torreretur, nisi aëre pulmonum opera attracto, subinde refrigeraretur. Sic etiam venæ, partes sunt ignobiles, quia Hepati deseruiunt, dum sanguinem ab ipso Hepate confectum, deducunt per vniuersum corpus, ad singularum partium nutrimentum.

Denique nerui, partes etiam sunt ignobiles, quia cerebro subiiciuntur ac ministrant, dum sensum ac motum, spiritumque animale ab ipso cerebro elaboratum, desumunt ac mutuuntur, ipsumque per vniuersum corpus deferunt.

Et hæ sunt antiquiores ac celebriores partium diuisiones.

C *ARISTOCRATIAE HUMANAE clara Assertio, & Demonstratio, contra Peripateticos.*

His igitur de partis definitione ac multiplici diuisione expositis, superest vt propriam humani corporis politiam, ratione partium consideratam, clarè designemus ac demonstremus. Sit ergo vnica hæc assertio.

Humani corporis Politia, propriaque gubernatio, si partes inter se comparentur, ad Aristocraticam omnino referri debet.

Hanc assertionem satis superque probare videtur postrema partium diuisio superius explicata: si enim partes principes plures sint, vt declaratum fuit exemplo cordis, hepatis & cerebri, quibus aliæ partes deseruiunt ac ministrant, profectò Politia humani corporis Aristocratica erit, non Monarchica, neque etiam Democratica siue popularis: Cum illa vnus duntaxat principatum sustineat; hæc verò omnium potestatem ac imperium ferat ac postulet.

Sed quoniam de partium principatu, grauissima existit inter peripateticos & medicos controuersia; & peripatetici quidem cum suo principe ac Coryphæo Aristotele, Monarchiam constantissime defendunt, vnusque cordis principatum adstruunt: ita vt ex illorum sententiâ cor sit dominus vnicus siue rex omnium omnino partium, facultatum, operationum, & omnia, ab illo vt à principio, omnibus

modis dependant & gubernentur; ipsum autē, partem aliam se superiorem non habeat, à qua scilicet dependeat & gubernetur: Medici verò, quorum verissima est sententia, summum artis medicæ dictatorem Hippocratem & doctissimum Galenum, medicinæ genium alterum sequentes, & ipsâ partium autopsiâ, quæ per anatomem innotescit, edocti, Aristocratiam inducunt, multarumque ac præstantissimarum partium principatum tuentur & approbant; placet positam assertionem vberius demonstrare. Ea Politia ad Aristocratiam referri debet, in qua principatus est penes optimos, præstantissimos, eosque paucos: atqui Politia humani corporis est eiusmodi: in ea enim principatus est penes optimas, paucasque partes: ergo Politia humani corporis ad Aristocratiam referri debet. Propositio certa est. Continet enim definitionem Aristocratia, quæ est optimatum principatus, quos ad faciliorem & feliciorem gubernationem, paucos esse debere, libello 2. demonstravi. Assumptionem, quodd nimirum in Politia humani corporis, principatus & gubernatio sit penes optimas partes, easque admodum paucas, sic demonstravi. Etenim principatus partis in eo consistit, ut à parte, quæ dicitur princeps, totius individui conservatio & vita absolutè dependeat, ita ut ab illa parte distribuatur vniuerso corpori communis quædam facultas, vel spiritus vel materia: Atqui tres sunt eiusmodi partes, hepar scilicet, cor, & cerebrum: ergo principatus corporis penes istas tres partes erit. Quæ cum sint potentiores, meliores, fortiores cæteris, eximisque facultatibus, ut mox declarabitur, instructæ; atque etiam ternario numero, qui omnium numerorum excepto binario minimus est, comprehensæ; humanæ rei publicæ optimates ac principes iure merito censentur, illamque Aristocratico regimine temperabunt.

Hepar autem, cor, & cerebrum, partes esse ad vitam absolutè necessarias, vnde partis principatus æstimatur, hunc in modum ostendi potest. constat enim inter omnes philosophos & medicos, ut ex Platonis Timæo, Arist. l. 3. de partibus anim. c. 4. Gal. præf. c. 37. & l. 9. meth. c. 10. aliisque locis, corpus humanum non aliunde vitam tenere, quàm à tribus illis primariis supremisque facultatibus, naturali, vitali, animali: aded ut si vel vnius officio priuaretur corpus, necessariò illud deficeret & extingueretur. Cum enim à facultate naturali sit spiritus naturalis, & sanguis ad vitam necessarius, ut pote corporis commune pabulum; à facultate vitali, sanguis arteriosus, spiritus vitalis, offi-

A cina caloris, & arteriarum ipsiusque cordis pulsatio, vnde vita dependet; à facultate animali, sensus, motus, respiratio, sine qua viuere non possumus; manifestum est, vnâ istarum facultatum deficiente, non posse vitam permanere. Cum igitur tres illæ corporis retrices, vitæque custodes facultates, ita sint distinctæ, locisque ac regionibus disclusæ, ut naturalis quidem sit in Hepate & ab Hepate, ut à principio; vitalis itidem in corde & à corde; animalis in cerebro & à cerebro; profectò tres illæ partes, hepar, cor, cerebrum, à quibus ut suis principiis facultates dependent, ad vitam omnino necessariæ erunt, corpusque vniuersum tanquam principes & optimates, simul gubernabunt.

Facultatem verò naturalem in hepate residere, vitalem in corde, animale in cerebro (quod probationis est caput) docuerunt Plato in timæo, Hippocrates, Galenus c. 1. 6. de decret. Hipp. & Plat. & lib. i. de vsu part. c. 16. & l. 7. & 8. de decret. & l. 1. de loc. aff. c. 7. Philo Iudæus l. de victimis. De Gregorius Nyssenus l. de creatione hominis cap. ultimo. D. Nemesius l. de nat. hominis c. 23. Lactantius l. de opificio Dei c. 14. Thomas à veiga l. art. med. c. 38. Franciscus Vallesius l. 2. controu. c. 14. aliique Theologi ac Medici, imò & Philosophi plurimi, quos hac in parte ab Aristotelis sententiâ deflexisse, mirum esse non debet, qui in corde ut in principio ac fonte vnico, facultates omnes constituit, ideòque Monarchiam partium pertinacissimè defendit: ut constat ex l. 3. de part. animal. c. 4. l. de Iuuen. & Senect. c. l. de vita & morte, aliisque pluribus locis. Neque enim Aristoteles probè satis assequi potuit, diuersas facultatum sedes ac principia, atque aded diuisum esse corporis imperium, & ad tres principes esse referendum: quippe qui anatomes minimè studiosus fuerit, nec in fabricâ corporis humani vsque adeo versatus: ex cuius tamen cognitione, tota dependet de partium principatu controuersia: præsertim etiam cum aded fuerit addictus Aristoteles Monarchiæ, ut eam non tantum in magno mundo elucescere docuerit, ex vnius primi motoris, Dei scilicet, summi rerum moderatoris regimine; itemque in animalium generibus inter se comparatis: sed & in paruo mundo, humano nimirum corpore, etiam ratione partium inter se collatarum, à naturâ constitutam esse putauerit.

Sed (parcat nobis schola Peripateticorum) errauit Aristoteles, Medici autem rem acu tetigerunt. Quod ex eo patet, quia, ut antedictum fuit, facultates pri-

marix & corporis gubernatrices diuifæ sunt fedibus, neque omnes in vnâ eademque parte sunt collocatæ: Ita vt vbi vna confiftit regnatque facultas, ibidem altera, tanquam in principio, proprioque tribunali minimè confiftat.

Vt enim de facultate naturali primò dicam; ea sanè in solo hepate tanquam in principio refidet, quod fic ostendere licet. In quâ parte vis inest conficiendi sanguinis & naturalis fpiritus (qui nihil aliud est, quàm purior & subtilior pars sanguinis, ipfiusve tenuis ac benignus vapor) eiusque distribuendi summa authoritas, in eâ, vt in principio, refidet facultas naturalis: atqui in solo hepate vis inest conficiendi sanguinis & naturalis fpiritus; eiusdemque distribuendi summa authoritas: ergo in solo Hepate, refidet facultas naturalis. Propositio vera est. facultas enim naturalis, etiam Peripateticorum confensu, in confectioe sanguinis & naturalis fpiritus, venis concludi, eiusdemque distributione, tota polita est: quatenus fcilicet fanguis ad nutritionem singularum partium, earumque accretionem neceffarius est, imò & ad generationem. (Semen enim, quod ad generationem omnino requiritur, fanguis est dealbatus, calore ac fpiritu multo perfusus.) Hinc enim voluit Aristoteles, cor idè esse facultatis naturalis, vt & venarum principium; quia hoc tanquam certum affumpfit, facultatem naturalem in ea parte refidere, quâ fanguis procreetur, idemque per vniuerfum corpus distribuatur: Sanguinem autem putauit à corde elaborari, & in illius foueis ac specubus perfici; ipfiusque etiam cordis virtute, per venas, quas voluit Aristoteles ab ipfo corde ortum habere, in singulas partes distribuere, vt & fanguinem arteriofum, fpiritumque vitalem, per arterias. Est ergo vera propositio, in qua parte vis inest conficiendi sanguinis, eiusdemque distribuendi authoritas, in eâdem refidere facultatem naturalem. Non enim, vt obiter dicam, facultatem naturalem vocant Medici, vim illam, parti cuiilibet inftitam; quâ, vnaquæque viuens pars nutritur, & alimentum in suam substantiam conuertit, atque etiam ex vberiore alimento incrementum capit. Sic enim facultas naturalis, cuiilibet parti inftita effer: atque ex quo, per vniuerfum corpus diffusa, quod falsum esse omnes sciunt, qui naturalem facultatem sumptam, vt hoc loco sumi debet, hepatis vel cordi attribuunt: Sed eam vim, quæ dicitur *αἵμα τὸν κέντρον* & sanguinis opifex, qui quidè fanguis, ad totius corporis nutritionem & incrementum planè est neceffarius. Vnde putamus ideo fa-

A cultatis naturalis principium Hepar dici, eo quod Hepar fanguinem conficiat, sine quo, facultas alrix, & procreatrix nihil possunt. At verò (quæ propositio minor est) in solo Hepate vis inest conficiendi sanguinis, eiusdemque distribuendi summa auctoritas, vt ex anatomicis administrationibus, ipsaque autopsiâ constat. Si quidem secando corpora, videmus venas, quæ sunt sanguinis ductus & canales, ab Hepate oriri, & inde in vniuerfum corpus propagatas, fanguinem probè coctum, Hepatis quodam veluti imperio, deducere. Dux enim sunt iuxta Hepar prægrandes & ampliffimæ venæ, atque aliarum quasi matres, Porta & Caua. Illa è concavâ parte Hepatis, hæc ex gibba & conuexa emergit. Ex porta & Cauâ innumerabiles rami ac furculi, quasi à truncis exeunt, & quoquouersum disseminantur. Quorsum ergo sapiens natura venarum truncos Hepati implantâset, nisi quia Hepar actor est & opifex sanguinis, quem per venarum ipsi ministrantium tubulos & canales, in vniuerfum corpus transmittit? neque enim procreari potest fanguis virtute venarum, quæ natura frigidæ & siccæ sunt, vt pote spermaticæ, sed solius Hepatis parenchymate, carnosio illo viscere, & concreto ac duriori sanguini persimili, quod calore abundat & sanguificâ facultate præditum est. Vbi enim puriorem chyli, cremoris illius lactei, qui in ventriculo confectus fuit, partem fuxerunt venæ mesaraicæ, & paulatim rubescentem deduxerunt ad Hepar, per venam portam; ibi sanguinis ideam ac formam acquirit; factâque fellis, limi, & seri repurgatione, operâ vesiculæ felleæ, lienis, & renum; in venam Cauam, eiusque ramos, tam descendentes quàm ascendentes, fanguis idem perfectè coctus & elaboratus sese insinuat, vt hinc ad cor, aliasque partes omnes nutriendas transmittatur. Quæ enim argumenta meliora, quæ certiores notæ afferri possunt à Philosopho & Medico, vt Hepati sanguinis opificium, eiusque distribuendi authoritas attribuatur? Si quis enim obiiceret, procreari quidem in Hepate fanguinem, eiusque operâ rudimentum dumtaxat sanguinis accipere; sed tamen vltimam manum non assequi, neque defæcatum ac perfectum esse, nisi in corde viscerum calidissimo percoquatur; (quòd Aristotelici quidam obiectant) is ex eo facilè coargueretur; quòd Hepar, vt anatome monstrat, totum fanguinem neutiquam transmittat; sed aliquam dumtaxat eius partem, reliquum verò, aliorum per venas distribuatur; vt alix etiam partes gratioso illo humore nutriantur ac perfruantur.

tur, quod principis officium est, non ministri, inquit Gal. & certè in corde nulum vas ostenditur, quod sanguinem absolute perfectum educat & in corpus deriuat, vnde rectè Plato dixit, vt obseruauit Gal. 6. de decret. Cor non cuiuslibet sanguinis originem esse, sed eius qui impetu ruit ac salt, id est arteriosi. Nimirum quia tantum aliquam sanguinis partem, ex læuo venæ Cauæ latere, cor allicit, quæ pulmoni nutriendo, spiritibus, & arterioso sanguini conficiendo sufficiat. Adde quod à corde nulla datur via, per quam sanguis toti nutriendo corpori distribuatur. Præterea omnes humores, quorum præcipuus est sanguis, eodem in loco generantur, eum simul ex vno chylo fiant: at verò neque pituita, neque atra, aut flaua bilis in corde gignuntur, sed in Hepate; tum quia non nisi in Hepate apparent, nec nisi prope Hepar habent receptacula, nempe fel, lienem, renes; tum quia cor eiusmodi recrementa & faeces admittere nequit. Denique vnum quodque principium suum refert & æmulatur, quantum potest: at sanguis naturam Hepatis refert, quod quidem Hepar adeo sanguinolentum est, vt concreti sanguinis speciem præbeat. In solo igitur Hepate vis inest conficiendi sanguinis, eiusque distribuendi summa auctoritas: adeo vt idcirco à medicis dicatur fons gratiosi humoris, officina sanguinis, venarum principium, naturalis spiritus auctor, denique munificentissimus princeps, cuius scilicet propriis sumptibus, vniuersi corporis familia nutriatur. Quod si vis conficiendi sanguinis in Hepate residet, vt in suo principio; facultas etiam naturalis in illo residebit, quæ circa sanguinem tota occupatur.

*l. 3. de part.
anim. 6. 4.*

Quod verò spectat ad facultatem vitalem, ea, omnium etiam Aristot. consensu, in vno corde, vt in principio, residet. Quod sic potest demonstrari. In quâ parte inest vis conficiendi spiritus vitalis, eiusque quoquoersum diffundendi auctoritas, in ea residet facultas vitalis: atqui in solo corde inest vis conficiendi vitalis spiritus, eiusque quoquoersum diffundendi auctoritas: ergo in solo corde residet facultas vitalis. Propositio clara est, ac per se nota. Continet enim definitionem facultatis vitalis, quæ posita est in confectioe sanguinis arteriosi, & maxime spiritus vitalis: non secus atque facultas naturalis consistere dicitur in sanguinis procreatione ac distributione. Vbi igitur vis illa spiritus vitalis procreatrix, atque dispensatrix residebit, ibi & facultas vitalis erit constituenda. At verò (quæ propositio minor est) in solo corde vis con-

A ficiendi spiritus vitalis inest, eiusdemque distribuendi auctoritas. Hoc probat anatomie & partium structura. Nam ex dissectione corporum & autopsiâ, quæ certissima est rerum magistra, cernimus in corde specus, siue ventriculos duos (quales alibi reperire non licet) dextrum & sinistram, ad procreationem spirituum vitalium maxime comparatos. In dextrum enim affluit sanguis plurimus è vena cauâ, cum ad pulmonum nutritionem, per venam arteriosam; tum maxime ad spiritus vitalis generationem, quæ in sinistro sinu perficitur. Sanguis enim per venam cauam, inquit Galenus, quæ patentissimo ostio hincit & adaperitur cordi; in dextrum sinum vberissime effunditur, tanquam cisternam: vbi coquitur, attenuatur, subigitur: Et mox eius portio per venam arteriosam, ad pulmones nutriendos mittitur: altera verò, eaque vberior, per septum medium, quod velut interiectus paries, vtriusque sinum discludit, fertur in sinistram specum: vbi cum aère à pulmonibus attracto, vi cordis insitâ, atque ingenti feruore, quasi in fornace, vitalis spiritus formam induit: statimque C contracto corde per systolem, foras cum copiâ in vniuersum corpus emittitur, per Aortam, magnam illam arteriam, & per arteriam venosam è sinistro cordis sinu prodeuntes. Quorsum enim Natura, quæ nihil temerè aut fortuito agit, sed omnia propter bonum finem sapientissime molitur, duos illos sinus, siue ventriculos, in corde viscerum fortissimo & calidissimo construxisset; & sinistram quidem triplo crassiorem ac firmiorem dextro formasset: nisi quia in sinistro illo sinu procreari debebant vi cordis, sanguis ille aereus ac D spumans, spiritusque vitales leuissimi & tenuissimi, qui alioquin ob tenuitatem facile vanescerent? quorsum arterias illas duas maiores, venosam & aortam, maxime verò aortam aliarum matrem, sinistro cordis ventriculo affixisset? nisi quia debebant arteriæ, cordi, à quo oriuntur, tanquam principi ministrare, eius vim deferre, spiritusque vitales ab ipso & in ipso elaboratos, per vniuersum corpus deducere? Profectò vitæ necessitas spiritum vitalem perpetuò exigit. Cum enim fugax sit animantis cuiusque viuacitas, & perpetua fiat natiui caloris dissipatio, nisi viuifica quædam res continenter suppeteret, nisi noui cuiusdam nectaris appulsu recrearentur spiritus, non diu suo statu contineretur calidissimum animal. At viuificum illud nectar, vitalis est spiritus: hunc ergo cor propria vi & suo perenni motu, ex aère & sanguine simul iniectis, continuò creat: cum vitæ principium sit & natiui

& natiui caloris focus ac officina, vt ipse Aristoteles 3. de part. an. & alibi passim profiteretur. Si enim spiritus vitales deficiant, si calor à corde aliis partibus non communiceetur, si cor ipsum afficiatur, vita statim deficiet & extinguetur. quod de alia parte dici non potest. hinc cor primum viuēs, & vltimum moriens. Nunquam mors, inquit Gal. nisi ad magnas cordis intemperies, cogente, vigent florentque omnia; languente, languescunt; intereunte intercunt. Solum hoc viscus, inquit Plinius, vitiis non maceratur, nec vitæ supplicia trahit grauiora, læsumque mortem affert præsentaneam. Nec potest animal interire, inquit Galenus, quin cor ab agendi munere cesset, quod quidem agendi munus procreatio est spirituum vitalium, atque eorundem in vniuersum corpus per arteriarum vehicula distributio; quod opus est vitalis facultatis, cui ob dignitatem eximiam summamque necessitatem, ipsa respirandi vis, facultasque pulsifica, per quam, cor & arteriæ pulsant, sese per diastolem dilatando & per systolem contrahendo; sedulo famulantur.

Quod denique ad facultatem animalem attinet, ea profecto in vno cerebro, vt in principio residet. Hoc sic demonstro. In qua parte vis inest conficiendi spiritus animalis, summaque illius distribuendi auctoritas, in ea vt in principio residet facultas animalis: atqui in solo cerebro inest vis conficiendi spiritus animalis, summaque illius distribuendi auctoritas: Ergo in solo cerebro vt in principio, residet facultas animalis. Propositio certa est, & ab omnibus admitta. nam, supra demonstratum fuit, in qua parte residet vis conficiendi sanguinis venosi, spiritusque naturalis, ipsiusque distribuendi auctoritas, in eadem residere facultatem naturalem: & in qua vis inest sanguinis arteriosi & spiritus vitalis conficiendi, summaque illius distribuendi auctoritas, in eadem vt in principio, residere facultatem vitalem: pari iure in qua parte vis est conficiendi spiritus animalis, eiusque distribuendi summa auctoritas, in eadem vt in principio, animalis facultas residebit. Distinguntur enim facultates secundum opera sua & fines: atque opus quidem facultatis naturalis, est spiritus naturalis, siue sanguis venosus; finis, nutritio corporis, opus facultatis vitalis, sanguis æreus, spumans, arteriosus, spiritus vitalis, communicatio caloris per vniuersum corpus; finis, vitæ conseruatio; opus facultatis animalis, spiritus ipse animalis, ex aëre naribus inspirato, & spiritu vitali per arterias carotidas ascendente, in cerebro & à cerebro elaboratus; finis, sensus, motus voluntarius, cogitatio, imaginatio, ratiocinatio. Sed nos contenti;

A fuimus facultates explicare per spiritus, circa quos immediatè negotiantur facultates. Imò verò tanta est connexio & affinitas facultatis & spiritus, vt spiritus facultas dicatur, vel saltem facultatis delator, quod longè veriùs est. facultas enim accidens est, in secundo genere qualitatis, vt omnes philosophi docent cum Arist. in Categoriis: spiritus verò substantia. At verò in solo cerebro (quæ est minor propositio) inesse vim conficiendi spiritus animalis, eiusque distribuendi summam auctoritatem, ostendit ipsa cerebri structura, ad hoc officium omnino comparata. Quorsum enim prudentissima natura in cerebro rete mirabile, plexusve choroides & retiformes (qui sunt venularum & arteriolarum textus illi labyrinthi, per tenuis membranæ, quæ pia mater dicitur, sursum ascendente portunculam excurrentes) tantâ arte construxisset; quorsum interiores illas cellulas, sinus, ventriculosve quatuor fabricasset: quorsum cerebro vim respirandi tribuisset, nisi vt aëre naribus attracto, ac per os ethmoides in cerebro sese per diastolem dilatantis, cavitates deducto; itemque spiritu vitali per arterias ceruicales ascendente, & in cerebri basim delato, animalis spiritus in mirandis illis plexibus præpararetur, excoqueretur, attenuaretur, in duobus superioribus ventriculis sincerior & defæcior fieret, in tertio & quarto sinu perfectus, omninoque expurgatus contineretur: atque hinc, contracto per systolem cerebro, in neruos propelleretur, è quibus in omnes corporis partes effunderetur; denique quorsum neruos cerebro ac spinali medullæ alligasset; nisi vt ipsi nerui cerebro, in quo facultas animalis residet, ministrarent; spiritumque animale ex ipso cerebro petito distribuere? Enim verò neruos à cerebro oriri anatomica autopsia declarat. Septem enim paria ab anteriori cerebro prodire veteres existimauerunt, hoc distichon ipsorum officia explicante comprehensa, vt dictum est in Anthologia anatomica. *Prima videt, oculos mouet altera, tertia*
Quartaque, quinta audit, vaga sexta est,
Septima lingua. Trīginta autem alia paria siue coniugationes à spinali medulla. Quanquam neruos omnes, à posteriori cerebro oriri, qua parte sacra illa medulla ortum ducit, Iuniores verissimè obseruarunt. Cum enim facultatis animalis siue spirituum animalium sint latores, debuit eorum principium, propè spirituum officinam, id est, ad tertium & quartum ventriculum collocari. Porro cum medullæ spinalis principium sit cerebrum, si neruorum principium est medulla spinalis, vt esse constat, ipsam

etiam cerebrum neruorum erit principiū, iuxta Philosophorum axioma, quod est causa causæ, est causa causari. Sed & neruus, paruum quoddam cerebrum est, inquit Galenus. Vt enim cerebrum totum est medullosum, duabus tamen membranis velatum: Sic neruus intus mollis & medullofus, duabus tuniculis vestitur, durâ & tenui. Sunt igitur nerui quædam cerebri propagines. Præsertim cum quò longius abeunt à medullâ, eò sint tenuiores; quò cerebro viciniore, eò latiores. minora enim è maioribus nascuntur, vt furculi è ramis grandioribus, rami è prægrandi trunco.

Esse verò cerebrum principium facultatis animalis; hæc adhuc ostendunt. quòd læso cerebro, obstructo, vulnerato, refrigerato, inflammatione obfesso, vt in apoplexiâ, epilepsiâ, caro, catoche, melancholiâ, phrenitide, animalium functionum manifesta deprauatio, ac læsio appareat, & in apoplexiâ maximè sensus omnis ac motus aboleatur, non item affecto hepate, vel corde. Et præterea quòd in prædictis morbis admota cerebro præsidia iuuent; non iuuent autem admota cordi aut hepatis.

Est igitur facultas animalis in vno cerebro, tanquam in principio: non secus atque vitalis in corde, naturalis in hepate.

Ex quibus manifestè sequitur, partes principatum in corpore tenentes, ipsum corpus Aristocratico regimine temperare; esseque in humana illa republica, quasi optimates.

Quod si obiectent Peripatetici, melius esse vnum principium statuere quàm plura, & præstabiliorem esse Monarchiam Aristocratiam.

Respondendum est, nos vnum principium statuere, & Monarchiam corporis adstruere, ex parte formæ, quæ est vnica anima rationalis: non ratione partium inter se comparatarū. quia non potest vnica pars, nempe, cor esse sedes trium facultatum, quæ diuersam in suis principiis temperiem exigunt, diuersa etiam organa, vt neruos, venas, arterias: spirituum item diuersissimorum, naturalium scilicet, vitalium, & animalium procreationem. Quæ omnia ab vnica parte præstari non possunt. Quis enim nescit, verbi gratia, facultatem animalem, aliud temperamentum requirere quàm vitalem, cum illa temperamento minus calidò fundetur ac delectetur, quale est in cerebro; hæc verò non nisi ingenti calore qualis in corde est, conseruetur ac subsistat?

Sit ergo principatus corporis penes hepatis, cor, cerebrum, heroicas illas partes; quæ pro suo quæque ingenio & insita fa-

A cultate humanum corpus administrant. Sic vigeat eximia illa, quam in humano corpore quærebamus, Aristocratia. Neque verò nobis in hoc doctrine genere adeo repugnantem habebimus Philosophorum principem Aristot. quàm erit fortassis ipse sibi, quia nimirum licet in humani corporis politia, partiumque regimine monarchiam siue summum vnus cordis principatum passim asseruerit ac ferè pertinaciter nimis defenderit, vt constat ex ante dictis: in quibusdam tamen locis videatur disertè satis ipsi etiam cerebro, vt & cordi principis ac præstantissimæ partis honorem ac titulum detulisse, ita vt vtrique parti, cerebro scilicet & cordi priorem attribuat dignitatem, vt constat ex G. II. l. 3. de partibus animalium, vbi *ἀπὸ τῶν μενῶν*, de membranis & earum officio differens ait maximas & robustissimas membranas eas esse, quæ cor & cerebrum ambiunt, atque id quidem *ἀλλοῶς* optima ratione factum fuisse. Nempe quia ex partes plurima indigent custodia, ac diligentiore tutela. Custodia enim & protectio maior esse debet circa partes principes. Hæc autem partes, cor scilicet & cerebrum, in animalibus sūt maximè principales. *ἢ ἴσθ' ὅτι φύλακῆ*, inquit, *ἀπὸ τῶν μενῶν. ταῦτα ἔκαστα μάλιστα τῆς ζωῆς*, qui textus est profectò meridiana luce clarior. Sed & idem Aristot. problemate 7. sect. 33. humanum caput, quod *τὸ ἐγκεφαλον*. I. cerebrum continet, vocat *διότι τὸ πρῶτον ἀπὸ τῶν μενῶν*, diuinissimam partium quæ in nobis sunt. sic enim proposito problemati cur sternutamentum Deum esse existimamus, non tussim aut grauedinē? Respondet causam esse *διότι τὸ κεφαλαίον τὸ διοτι τὸ πρῶτον ἀπὸ τῶν μενῶν, ὅθεν ὁ λογισμὸς ἐστὶν ἐν τῷ*, quia sternutatio fit ex parte in nobis diuinissima, capite scilicet, vnde existit ratiocinatio. Atqui pars omnium diuinissima non potest nō esse princeps cū sit omnium nobilissima, quam ideo aliis in suo genere principatus & excellentiæ seruire non decet nec illis esse inferiorem. Ergo etiam ex sententia Aristotelis cerebrum est pars princeps, & hoc libuit annotare aduersus eos qui parui Aristotelem fecisse cerebrum nugantur, & importunè obiectant parum in tanti viri philosophia versati.

ARISTOCRATIAM HUMANI
corporis, iusto quodam partium principum
Triumviratu definiri.

APPENDIX PRIOR.

VBI principatus imperiique summa ad viros tres deuoluta est, qui soli iusto, summoque regimine rempublicam gerant; ibi iustus elucet triumviratus: atqui in Aristocratia humani corporis, principatus imperiique summa ad tres heroicas partes, quasi optimates, deuoluta est; quæ sola

iusto regimine humanam rempublicam administrant: ergo in Aristocratiâ humani corporis, iustus aliquis Triuiratus elucet. Propositio per se nota est & indubitata. Assumptionem supra videor demonstrasse. Enimvero ad eas tantum partes spectat principatus, quæ singulæ, vnam aliquam ex tribus primariis ac rectoribus facultatibus insitam habent: at tres tantum sunt eiusmodi partes; hepar, cui insita est naturalis, vnde sanguis per venas; cor, cui vitalis, vnde vita spiritusque viuificus, per arterias; cerebrum, cui animalis, vnde spiritus animalis, sensusque ac motus per nervos: ad has igitur tres partes, Imperij summa tota erit deuoluta. Et merito quidem. Cum tres illæ principes partes omni studio, totius corporis commune bonum, quasi optimates, procurent; non tam sibi, quàm vniuerso corpori natæ. Quod certè de aliis ignobilibus partibus dici nullo modo potest, quæ principibus deseruiunt, iisque subiectæ sunt, nec primò & per se toti corpori facultatem, spiritum, communemve materiam largiuntur.

Ex quo sanè factum esse arbitror, vt vnaquæque pars princeps suam sibi à naturâ destinatam regionem, ac prouinciam fortita fuerit. Licet enim trium illarum partium potestas & imperium, per vniuersum corpus sese diffundat; ipsæ tamen sedibus ac domiciliis, imò & prouinciis ita distinctæ videntur, vt quot illæ sunt, tot in earum gratiam corporis humani regiones extructæ fuerint: in quibus ipsæ principes à cæteris quasi à subditis colantur, summisque afficiantur honoribus.

Hepar partium principum infima, infimam etiam corporis regionem, quæ est imus venter, obtinuit. In ea regione quotquot partes degunt & commorantur, Hepati, tanquam suo principi, obsequium præstant, & naturali quodam impetu deseruiunt. Ventriculus lacteum chylum, quasi coquus cibum, hepati subministrat: quem tenuia intestina excipiunt, venæ mesenterij exugunt, rubrumque faciunt; & crassiore ac inutili portione relicta, per crassiora intestina deturbandâ & per anum excernendâ, puriorem partem, per venam portam ad princeps viscus hepar, deuehunt: quod dum eximio sanguinis officio vacat & incumbit, suis interim ministeriis adiuuant, vesicula, quæ bilem; lien, qui succum melancholicum; renes, qui serosum humorem expurgant: vterus, vesica, vrethra, penis, quæ lotium, alteram regię domus illuuiem, quasi è culinâ extrudunt. Venæ autem Porta & Caua præsto adsunt suo principi, vt eius imperium, sanguinem per vni-

A uersum corpus deferendo, executioni mature demandent.

Hepar autem ipsum, temperamento calidum humidum, in dextro hypochondrio, sub diaphragmate & costis nothis situm, cerebro per nervos, cordi, per arterias & venam cauam; ventriculo, intestinis, lieni, per ramum splenicum & mesentericum; diaphragmati, peritonæo, costis nothis, xiphoidi, vmbilico, per ligamenta propria connexum; carne constat propria, sanguini concreto, & quasi ardore tosto, simillima, exterius læui & gibba, intus caua & aspera, vt ventriculum foueat & complectatur, cystisque contineat. Et hanc quidem carnem in medio fere fissuram habentem, non autem in plures lobos distinctam, vocauit elim Erasistratus parenchyma, vulgus autem medicorum affusionem quasi sanguinis coagulati. Sic ergo constructum & adornatum Hepar, in hac pompa & apparatu, sed & præterea venarum mirandisplexibus instructum; venas omnes, quarum est principium, benigni caloris quadam veluti irradiatione fouet, sanguinè creat, spiritum naturalem perpetuò mobilem perficit & elaborat, ac demum in omnes partes etiam in cor & cerebrum liberalissimè transmittit. Hæc potestas est, hic principatus Hepatis.

Cor autem hepate nobilius, sed cerebro dignitate inferius, mediam inter illa regionem (quæ dicitur Thorax) sortitum est. In ea quæ continentur partes, ex omnes cordi, tanquam regi, famulantur. Pulmones inspiratum aërem, cordi præparant, eiusque æstuantem calorem, perenni suo motu, quasi flabello ventilant. Aspera arteria aërem deducit reficiendo, temperando, expurgandoque cordi accommodata. Venæ caux truncus sanguinem parentissimo ore affundit in dextrum cordis sinum, ad vitalis spiritus generationem. Aorta siue arteria magna ipsi cordi, vt eius mandata promptissimè exequatur, infixæ; à sinistro sinu, spiritum vitalem copiosissimum haurit, quem per ramos innumerabiles in vniuersum corpus celerrimè distribuit.

Cor autem mole exiguum, virtute maximum, reliquis visceribus calidius & ficius, pineæ nuci simile, in medio Thorace situm est, quasi Sol in medio planetarum, saltem ratione basis. Mucro enim siue acutior pars cordis, in sinistrum latus deflectit, infra læuam papillam, vbi manifesta pulsatio deprehenditur, carne constans durâ, densâ, solidâ, ad robur nobilissimi visceris: Venis etiam, arteriis, nervis, villis contextum, tunicâ regiâ indutum, duobus ventriculis dextro & sinistro, quos medium septum dirimit,

distinctum; duabus auriculis, quæ sunt sanguinis & aëris promptuaria, insignitum; valvulis vndecim, quarum alie trifurcæ sunt, alie semicirculares, munitum; vasis quatuor amplioribus, in dextra quidem parte, vena cava & vena arteriosa; in sinistra, aorta & arteria venosa instructum; & mirabili tandem naturæ providentia, adipe plurimo (quem non solet in feruidissima regione generare) oblitum: ne scilicet cor ob perennes suos motus, incendio conflagraret.

His copiis, hoc satellitio instructum cor, indefesso diastoles ac systoles motu, corpus vniuersum, vt Sol mundum, regit vitamque conseruat; sanguinem arteriosum, aëreum ac spumantem, spiritumque vitalem subtilissimum & calidissimum ex aëre & sanguine procreat, eumque tandem per arteriarum tubos, ad caloris vitæque custodiam, in omnes partes velocissimè transfundit. Hæc est Politia, hoc imperium Cordis.

Cerebrum denique partium principum, ob diuinas suas actiones & intelligentiæ officia, princeps; supremam corporis regionem, quasi munitissimam arcem, nactum fuit: caput intelligo, cuius cæteræ partes ipsi cerebro, tanquam summo principi ministrant & obsequuntur. Capilli, pericranium, cranium ossibus octo constans, & multis foraminibus pertusum, duæ meninges siue pia & dura mater, cerebrum diligentissimè custodiunt, muniunt, repurgant, obuoluunt; venæ & arteriæ carotides, sanguinem ac spiritum vitalem deducunt; lingua locutionem ac sermonem, quem in cerebro mens primùm efformat, fundit, sensaque animi explicat; oculi rerum imagines ad cerebrum portant; aures sonos vehunt; nares aërem & odores deferunt, ad spiritus animalis generationem & ad cerebri recreationem: quod & mucosâ illuue repurgant; denique sensus omnes, quid extra agatur, ipsi cerebro, tanquam domino, renuntiant. At nerui omnes à cerebro ortum ducentes, ex ipsius ventriculis posterioribus spiritum animale accipiunt; quem ad motus sensusque officia, imperante cerebro, in omnes corporis partes deducunt.

Cerebrum autem ipsum, ossis septimentis ita obuallatum, tantâ naturæ diligentia custoditum, tot armis, tot organis instructum, & in sublimi illo ornatissimi capitis throno residens, substantiâ constans alibi albâ, alibi subcineritiâ, molli, medullôsâ, frigidâ, humidâ, in anteriorem partem, quæ peculiariter cerebrum, & posteriorem illâ crassiorē & duriorē, quæ cerebellum dicitur, diuisâ; quatuor præterea ventriculis distinctum, plexibus

A labyrinthis ornatum, variis ductibus peruium, processuum mammillarium, spinalis medullæ, omniumque neruorum principium; spiritum animale ex aëre & vitali spiritu per diastolen attractis, in suis plexibus præparat, in superioribus ventriculis coquit, in posterioribus perficit, perfectumque cum magna copia & confertim per systolem siue contractionem propellit in neruos, per quos quasi per canales, ipso dirigente cerebro, in vniuersum corpus ad sensus motusque officia distribuitur. Hic est Cerebri principatus, auctoritas, Politia.

B Quæ cum ita sint, quis non videt humanam Aristocratiam, iustissimo illo hepatis, cordis, & cerebri, quasi Triumviratu definiti? Quis non admiretur sapientiam supremi conditoris Dei, qui diuinæ Triados viuam quamdam imaginem, in paruo mundo, siue humano corpore sic expressit; vt illius principatum & administrationem ad tres partes reuocauerit? Ita vt quemadmodum magnus & adspectabilis mundus, à tribus illis sacratissimis personis, quæ sunt vnus & omnipotens Deus, sapientissimè gubernatur: sic & paruus mundus à tribus illis principibus partibus, hepate, corde, & cerebro, mirabili sympathia inter se, sub vnus animæ summo & Monarchico imperio conspirantibus, administretur.

ARISTOCRATIAM HUMANAM,
Trium partium principatu sic esse definitam,
vt illæ mutuis consistant auxiliis.

APPENDIX POSTERIOR.

A Piculam, si sola viuit, facilè consumi ac interire dixerunt veteres, siue illa tædio solitudinis afflicta, siue societatis vtilitate destituta contabescat. Idem profectò dicere licet de parte Principe, quæ si sola suis viribus relinquatur, & aliarum societate ac subsidiis priuetur, languebit illico, ac tandem emoriatur. Stant quippe principes illæ partes, vigentque mutuis auxiliis; tantâ conspiratione aptæ, connexæque, vt communes sibi tradant operas; imò verò vnâ earum affectâ, cæteræ statim ad illius sympathiam trahantur. Societatem hæc dudù obseruauit magnus Hippocrates, hisque verbis significauit.

οὐ μόνον μίαν, ἀλλὰ ἅπασαν, συμπερικρατῆται. libel. de
alim.

conspiratione vna, confluxus vnus, consentientia omnia. Enimvero vt homo homini Deus, sic pars parti præbet adiumentum. Conuenerunt homines relictis agris in ciuitates, vt ciuili societate & commerciis, vitæ inopiam subleuant, mutuasque sibi operas conferrent: sic sanè summus naturæ legislator Deus, humani corpori partes

in vnam fabricam & politiam ita compegit & concinnauit, vt vna alterius ope vteretur. Eleganter & ingeniosè Alciatus emblemate 160. ex Antiphilo.

Loripedem sublatum humeris fert lumine captus,

Et socij hæc oculis munera retribuit

Quo caret alteruter, concurs sic præstat uterque:

Mutuat hic oculos, mutuat ille pedes.

Claudus enim & cæcus mutuo auxilio mirè sese adiuuant, ille oculis; ad iter certò cognoscendum ne cæcus aberret; hic pedibus, ad portandum, ne claudus loripèsve iaceat, cadat, vacillet. Paribus ferè adiumentis, sibi corporis partes omnes succurrunt & opitulantur

-- alterius sic

Altera poscit opem res & coniurat amica.

Sed mutuuum illud auxilium maximè in principibus partibus elucescit; quasi mirabilis illa (si parua licet componere magnis) in sanctissimâ Trinitate diuinarum Personarum *θεοπροσωπων*, siue vt Theologi loquuntur, circumincessio. Hepar enim à corde vitæ principio, & natiui caloris foco, arterias, sanguinemque arteriosum, ac spiritum vitalem in cauâ sui parte excipit ad natiui caloris moderationem, & contenti spiritus conseruationem. A cerebro autem neruulos capit, in eius tenuissimam membranam dispersos; atque adeo sensum ac spiritum animale, licet alioqui obtusus sit hepatis sensus. Cor verò & cerebrum vicissim ab hepate venas, sanguinem, spiritumque naturalem mutuantur; vt inde nutriantur, spiritusque suos conficiant. Sed & cor à cerebro neruos sextæ coniugationis, adeoque & sensum assumit, si non motum Cordis enim motus naturalis est, siue necessarius, non liber aut spontaneus; qualis à cerebro communicatur. Habet & cor (si Aristoteli credimus) à cerebro refrigerium. Quòd si respiratio operâ neruorum, qui à cerebro prodeunt, perficitur; vt perfici certissimum est, an non potiori iure, cerebrum, vim suam neruis intercostalibus, aliisque musculis impertiens, cordis primarius seruator ac custos censebitur? Sic enim impeditâ spiritus animalis per neruos & musculos propagatione, propter cerebri summam obstructionem, Apoplectici moriuntur.

Cerebrum denique ab vno corde vitam habet, à quo præterea arterias accipit & plexus labyrinthicos, sanguinem arteriosum, spiritumque vitalem, ex quo etiam spiritum procreet animale. Vt perfectò pulcherrima illa corporis humani compages, ordoque politicus, non aliter quàm communibus officiis, mutuisque partium

A principum auxiliis & diuinâ illâ syntimariâ teneatur atque cohæreat. Non secus atque gladiolos tres, inter se certâ ratione compositos & complicatos, quotidiano etiam ludentium puerorum experimento, sese mutuo sustinere videmus. Est igitur humani corporis status omnino Aristocraticus, vt pote trium partium principum, Hepatis scilicet, cordis & cerebri quæ sunt cæterarum partium respectu velut optimates, iusto & æquabili moderamine, quasi politico ac legitimo regimine temperatus. Ita vt corpus humanum comparatione factâ partium inter se, perbellè gubernet Aristocratia: licet habitâ ratione totius hominis & ipsius corporis respectu animæ rationalis, quæ ipsum regit & informat; humanæ politice status sit absolute monarchicus. Nempe quia anima rationalis secundum essentiam vna, virtute multiplex, vt quæ inferiores animas vegetantem scilicet & sentientem eminenter, vt scholæ loquuntur, ac nobiliore modo contineat; sola author est, Domina ac Regina vitæ, sensus, motus & rationis ipsiusque corporis, vt ait Aristoteles, *ἀνεξάρτητος* actus, perfectio, & essentielle complementum. Nunc pergamus in aliis Aristotelis libris seriatim perstringendis, & inter cæteros librum De Spiritu primùm assumamus, qui librum in incessu animalium nouissimè delibatum ordine consequitur.

Summa libri de Spiritu.

Distinguit incertus interpres in capita nouem, hunc *θεοπροσωπων*, de Spiritu libellum; eum quidem passim deprauatum, neque doctrinæ Peripateticæ diligentiam aut grauitate illustrem satis: vt parum absit, quin Aristotelicum esse audacter negem. Licet non vsque adeo à methodo Aristotelis abhorreat. Vt vt sit, mouetur in ipso limine quæstio de permanentione insiti spiritus eiusque incremento. Augescere enim eum & fortiolem fieri constat ætatis mutatione, & corporis diathesi. Statuitur durationem & auctorem spiritus (non enim de eius generatione sermo est, quem esse ab initio factum, & forte animâ priorem, supponitur) in duos modos referri posse, respirationem, & coctionem alimenti. In hanc quidem: Par enim ratio est spiritus, & aliorum corporum: hæc verò aluntur augenturque è materiâ corporeâ: ergo & ille, qui etiam corpus est, licet subtilis & aëreum. Quamquam fortasse absurdum, vt spiritus qui animæ adeo affinis & cõiunctus, & eâ ortu prior, ab alimento fiat: præsertim cum sit purissimus. Adde quòd nullû spiritus reddere potest

Non sapit hic libellus Aristotelis aspectus.

θεοπροσωπων
νοητικῆς
αυξήσεως
τῶ ἀφ' οὗ
προβήματα.

excrementum : quod in omni alimento reperitur. Ad respirationem verò ; quia putauit Aristogenes spiritum durare & augeri ex aëre in pulmone concocto, foras pulsus illius excrementis. Sed fidem excedit hæc opinio, quæ incredibilem coctio- nis celeritatem inuehit. Inspirationem enim quâ fieri credidit spiritum, statim sequitur exspiratio. Item non fit inspiratio alibi, quàm in pulmone. At spiritus insitus vbique est. Neque fieri potest, vt tam breui tempore è pulmone exiliat spiritus, abeatque in imas partes, imò vt solo trãitu fiat talis coctio. Sed vt in non spirantibus spiritibus ab alimento est ; quidni & in spirantibus? Agitur postea de respiratione, pulsu & alimenti per arteriam aduectione. Satuitur, respirationem posteriorem esse formatione fœtus, nutritione, accretione, pulsu. Respirare enim tum primum incipit animal, cum in lucem editum est : at formatur, nutritur, crescit in utero. Imò & per initia constitutionis cordis, pulsus apparet. Sentire arteriam ob animæ potentiam sensificam. Illam solam spiritum suscipere, non neruum. Hunc tēdi posse, illam minimè. Sed statim rumpi, vt venam. Cutem constare venâ, quia puncta sanguinem mittit: neruo, quia tendi potest : arteria, quia aspirationem, *σπασμὸν*, habet. De semine quærendum, de nutritione neruorum & ossium, quæ eodem fere modo aluntur. Ex muco adhærente neruos nutriri. Aliis aliud esse alimentum, sed ex sanguine esse cætera, variis scilicet modis alterato & immutato. Ossa esse ob motum, vel ad sustinendum, vel ad contendum. Naturam animalibus sese moturis, neruos veros aut proportionales tribuisse. Ad motum cuiusq; proprium propria organa elaborasse, vt bene incedentibus, pedes binos; per terram gradientibus, plures; volantibus, alas. Calorem in animalibus diuersa efficere; pro vt ab anima regitur: vt ignem artificum, prout ad diuersos fines vsusque dirigitur. Artem calore vti, vt instrumento; naturam, vt instrumento & materia. Nempe quia in arte, ignis pars non est operis: in natura verò diffusus est per ipsum opus, & vnâ cum cæteris substantiam eius explet. Partes animalis differre densitate raritate, cæterisque affectionibus, atque adeo temperamento. Crassitiem & tenuitatem, magnitudinem & paruitatem, in quanto; durum; densum & contraria, in quali misionis consistere.

Libri de Historia Animalium.

Decem vulgè recensentur. At fortè nouem tantum, si Cæsari Scaligero

A viro diligenti & quamdoctissimo fides habetur, sunt numerandi. Decimus enim qui habetur, Septimi pars est. Quod testatur eiusdem fere rei, de iis scilicet, quæ ad hominis generationem spectant; continuata tractatio. Et maxime postrema verba l. 7. *οὐδὲν δὲ ἴδιον*, quæ sunt prima libri decimi. Denique septimi nimia breuitas quæ non aliter quàm decimi accessu suppleri potest. In hos igitur libros, cum pæne toti historici sint, vt ipsa *ἡ ἀπὸ τῆς ἰσθμίου* epigraphæ denotat, non est quòd argumenta notâsque prolixiores meditemur: qui aetioamaticos maximè & ætiologicos, siue, vt scholæ aiunt, scientificos & difficiliores consecrari, aque in compendiosam clarâmq; synopsis reducere instituimus; præsertim cùm in eosdē libros extet Theodori Gazæ interpretis, (cuius tamen versio, vt dicam obiter, parum fida, atq; etiam interdum praua deprehenditur,) elegans & elaborata præfatio, quæ in ipso operis vestibulo posita, Auctoris institutū, & librorū materiæ & vtilitatē sūmâ breuitate perstringit. Satis ergo sit, ne nihil dixisse videamur, cordiri Aristot. opus hoc eximium & longè amœnissimum à celebri diuisione partium in incompuestas siue similes, quæ scilicet in similes diuiduntur, vt est caro, (hæc enim in carnem semper diuiditur: & compuestas siue dissimiles, quæ in dissimiles, vt manus, quæ nō in manus sed in ossa, cutē, neruos, carnē diuiditur. Deinde conuenientiam & discrimina animalium explicatē, partes proprias à communib. distinguere, & fœminas à maribus; quòd hi semē in al-
Partes alia
similares,
alia dissimilares.

terum fundat, illa in se. Animalium alia perfectum animal generat; alia, oua; alia, vermes. Alia sanguinea, alia exanguia. Partes animalium esse varias. Soli homini faciē cōuenire. Genitalia mulieris aliter habere, quâ viri. Animalia quædã in quibusdã cōuenire, differre in aliis. Aues à pedestribus, à piscib. differre, & inter se: licet cōueniant aliquibus. Renes & vesicam habere omnia quadrupeda, quæ animal generat; ouipara, vt aues, piscēsq; nō habere: si testudinē marinā exceperis. Venas & neruos & arterias à corde oriri: cor tres ventriculos habere. A-
Quid mar,
& fœmina.

animalium exanguium quatuor esse genera, alia esse mollia extrinsecus; intus solida, vt sepias. Alia intus mollia, extrinsecus solida & crustacea; vt cæcros. Alia intus carnē habere, extrinsecus testam filiceam, dicique *ὀστρεάδων*, vt ostreas, conchas. Alia esse insecta, quæ incisuris distincta in plures species diuiduntur. Animalia alia; voces, alia sonos; alia murmura edere, alia loqui. Pleraque præter hominem, somnare. Discretionē sexus non esse in omni genero animalium. Variis modis coitū fieri. Alia semol in anno, alia pluries parere. Insecta, vel
Error A.
ristelis.

Cutis con-
stat venâ.
neruâ & ar-
teria.

Diuisio
animalium
exanguium.

ex animalibus eiusdem generis creari, vel sponte, vel ex rore. Vbi de vespis & apibus mira & multa. Generationem ex ovo, omnibus aibus conuenire eodem modo, sed tempore diuerso. Principium pulli esse albumen, cibum, luteum. Columbas bina vel ad summum terna oua parere. Vultures in summis nidificare. Alia de aliis aibus, Aquilis, anseribus, miluis, coruis, cuculis, pauonibus. Item de fœtu piscium. Qui si cartilaginei sunt, animal generant, sin minus, oua. Commune omnium animalium, venere titillari. Quadrupedes fœminas à partu ferocire, mares in coitu. Oues, capras, canes, boues, equos, asinos, mulos, camelos, elephantos, ceruos, vrsos, leones, hystrices, hyænas, lepores, vulpes, lupos, feles, ichneumones, mures non eodem modo coire, non eodem tempore parere, diuersas ætates habere. Hominem, de cuius generatione est liber septimus, tam matrem quàm fœminam sub annum decimumquartum semen ferre prolificum, tuncque pubescere, vocem mutare in grauiorem, quod dicitur *πρωϊστὴ*, *hircire*. mammæ fœminis extuberare. menstruum sanguinem, occisi animalis cruori similem, fluere decrescente lunâ: ideoque sexum fœmineum esse lunæ subiectum, quâ scilicet decrescente, mulier depleatur purgeturque, crescente, mox repleatur. Signum conceptionis esse cum locus, id est, vulua, *καὶ τὸ ὄμιον*, post coitum, siccus est; & si semen in septimum diem intus permanferit. Moueri mares circa quadragesimum diem in dextro vteri latere, fœminas circa nonagesimum, in sinistro. Quæ intra diem septimum corruptiones seminis accidunt, vocari *effluxiones*, quæ dicuntur *ἐκπτώσεις*, Gallicè *descharges*, *faux germes*. Quæ intra quadragesimum, *abortiones*, *ἐκπτώσεις*. Fœtum masculum quadragesimo die expulsus formicæ maiusculæ, quoad magnitudinem, esse æqualem, membræque discreta habere. Fœmineum adhuc tertio mense indieretum. In vtero enim fœminam tardiùs quàm matrem efformari ac perfici: Extra vterum, contra. Mulieribus à conceptu corpus totum grauari, caput dolete, oculos caligare, nauſcare, vomere, pati stranguriam siue vrinæ stillicidium, tumores crurum, picationem vel deprauatam appetentiam, tædium, fastidium, præsertim cum fœtui capillus innascitur. Tempus pariendi vnum cæteris animalibus esse constitutum, homini multiplex; parere enim septimo mense, octauo, nono, imò decimo, & initio vndecimi. Ante septimum, non esse fœtum vitalem. Septimestrem esse, imò & octimestrem in Ægypto, non in Græcia. Animalia cætera singulos fœ-

A tus, vel plures edere. genus humanum *ἐπιγενέσθαι*, in ancipiti esse, vt plurimum tamen mulieres parere singulos, cessare menstrua circa annum quadragesimum vel quinquagesimum. Quo exacto non fieri generationem. Mares multos generare anno sexagesimo, imò septuagesimo. Accidere viris & mulieribus vt qui coniuncti generare non potuerint, dissociati & aliis iuncti generent. Quosdam viros solas fœmellas creare, quasdam mulieres solos masculos. Herculem, mares septuaginta & vnum, fœmellam vnicam generasse. Claudos, generare claudos; cæcos, cæcos. Stigmata, næuos; similitudines auorum, parentum in filiis & nepotibus manere. Augeri fœtus in vtero per vmbilicum; si ipsum habeant. Hunc vulua acetabulis, *κατακλάδας* vocant; hætere. Situm fœtum in vtero quadrupedum quidem, esse extensum: nullipedum siue expedum, obliquum, vt piscium: bipedum, inflexum contractumque, vt auium. Hominem in semet conglobatum, sic gestari, vt nasum inter genua, oculos super genua, aures extra genua habeat. Parturientem mulierem, si torminibus crucietur, *ὡς ἂν ἕρπον*, ad abdomen, celeriter parere. Cæteris animalibus partus clementiores. Secare & deligare vmbilicum infantis, esse prudentiæ obstetricis. Infantem nunquam vocem edere, antequam prodierit. Non ridere, nec flere vigilantem primis 40. diebus: noctu & per quietem, ridere & flere. Nasci cum molliusculo sincipite, quod tardè induretur. Alia animalia nasci cum dentibus. Solos pueros dentire incipere mense septimo, eosque maturiùs quorum nutrices lac habent calidius. Post partum lac excitari. Puerperas morbo pilari prehendi in mammis. Lacte manante purgationes listi vt plurimum. Pueros corpulentiores, lacte vberiori & crassiori nutritos, à nutricibus succulentis benèque carnosis, & vino nigro ac minùs diluto vtenibus, conuulsionibus corripiti, & ante diem septimum plurimos interire. Atque ideò pueris septimo die nomina imponi. Conuulsiones periculosiores plenilunio, & cum à scapulis oriuntur. Ad hunc locum refertur debere librum decimum apertè satis indicat continuata in eo de hominis generatione tractatio. Hic tamen ponitur octauus liber: in quo de variis actionibus, ingenio, moribus, victu animalium. In quibus vt & plantis ordo quidam perfectionis à natura seruatus est. Statuitur ergo, primam partem vitæ animalium in procreandi officio consistere, alteram in alendo. Cibos differre ratione materiæ, ex qua ea quæ aluntur, constant. Ideò anima-

Cessans
mensuram
an 40 vel
50.

Situs infan-
tis in vtero.

Dentire
pueri incipit
mense
septimo.

Die septima
pueris nomina imponi
soluta.

Summa
libri octauus.

Summ. li. 7

Homo pro-
lificus est
anno deci-
mo quarto.

Fœmina
lunatica.

Tempora
hum. nati-
uitatis quæ-
ritur.

lia alia terrestria, quæ in terris degunt; alia aquatica, quæ in aquis: alia mediam viuendi rationem inire, esseque partim terrestria, partim aquea. Aues *σαυροειδεις*, *ουγκες αδινκος habentes*, esse omnes *σαυροειδεις* carniuoras. Nec posse fruges deuorare etiam inditas. Serpentes, lacertos, & alia *φαλιδωτα*, *cortice secta*, *πυροαγα* esse *omniuora*, carnem scilicet & herbam edere. Quadrupeda animal generantia, syluestria, *δεντα*, *καρχαροδοντα*, *dentibus serrata* omnia esse *σαυροειδεις*. Lupos tamen terram edere aliquam, cum esuriunt. Nec herbas tangere, nisi ægrotantes. Bibere animalia quædam lambendo, vt mures & *καρχαροδοντα*; alia forbendo, vt equos, boues, & *συνιδοντα*, continuos dentes habentia. Alia mordendo, vt vrsos. Aues verò, forbendo. Cornigera animalia fera, urbana, & non serratos dentes habentia, fruge vesci & herba, sues verò radicibus maximè. Alia animalia aliis vesci alimentis, alio & alio instinctu ad actiones suas incitari. Alia aliis delectari, diuersis etiam morbis conflictari. Pisces alios, aliis temporibus meliores, ciboque aptiores. Nono libro explicantur affectiones & mores animalium, prudentia, stultitia, fortitudo, ignauia, clementia, acerbitas, docilitas, inimicitia, amicitia, astutia, certamen, nidificatio, partus, Respublica apum admirabilis, sagacitas elephantum, cameli castitas, mansuetudo delphini eiusque in pueros propensio & amor: Vis etiam castrationis siue excisionis testiculorum, qua & forma & mores animalium immutantur. Denique ruminatio, quæ est quasi iterata cibi accepti, & aliquo loco seruati commansio; quæ quidem animalia *μυροειδεις*, *ruminantia* (vt boues, oues, capræ) superiori dentium ordine carentia, delectantur, non minùs, quàm si edent. Ruminant verò hyeme. Imò 7. mensibus, & ruminando iacent. Decimo libro de vteris matricibusve agitur. Quibus læsis non fit generatio. Statuitur matricem bene habere, dum suis officiis probè defungitur & sine molestia: dum suo naturali loco consistit, & recto idoneoque situ: dum menstrua stato tempore emittit: dum somnia coitus exhibet. Habere matricem vim trahendi, seminis supple. Mulieres in coitu interdum *καταυοδεις*, *frustrari*; cum scilicet nec proiciunt semen, nec concipiunt. Lædi matricem conuulsione à distentione; igneis caloribus clausura siue coalitu, constrictione orificii. Mulieres magna ex parte tardiùs semen, quàm viros effundere. Debere ad generationem semina concurrere. Adueniente coitus tempore, fœminas mates insectari, vt Gallinas, si Gallus abest, intra se proiicere semen; itaque, vt & cicadas, fieri prægnantes. Vnde

A oua *υπιεμια*. A mare & fœmina semen emitti. Nihil sine vtroque generari. Fœminam, quia in vterum semen suum effundit, per seipsam generare, vt aues oua casta. Inde tamen non fieri animal; quod necessariò ex vtriusque semine fieri debet, sed corpus animali simile. Sic parere mulieres massam carnis informem, quæ mola dicitur, post tertium, vt de quâdam narratur, quartumve annum. Molam non esse animal: quia ex ambobus non est seminibus, virili scilicet & fœmineo commistis. Non esse etiam omnino inanimem, quia habuit animantis principia, vt hypenemia. In mola cognitione quosdam cæcutisse medicos. Eârardò gigni. Interdum tumorem ex humoribus in locos muliebres confluentibus ibique concretis, molæ specimen falsò præbere. vt dignoscatur, explorandam esse tactu matticem. Falli eas mulieres quæ se ideo non concepisse putant, quòd à coitu sicca non sit vulua, sed madens. Fit enim vt non rarò concipiant: excepta portione ea seminis prolifici & copiosi tunc profusi, quæ ad generationem sufficiat. Neque necessum esse vt totum quod proiicitur semen à matrice trahatur. Cum animalia quædam vno initu & congressu multos fœtus generent, & gemelli vno coitu procreentur. Hæc è multis pauca, & strictim libaui ex decem amplissimis longèque præclarissimis libris de historia animalium. Legantur cætera in textu facilia.

Libri de partibus Animalium.

Sunt quatuor. Primus quinque capitibus constans, totus pæne consumitur in explicanda docendi ratione & methodo, præsertim res naturales. Vnde statuitur. 1. In omni doctrina, contemplatione, & methodo, duos esse habitus modos: (male enim vertit Gaza, duos habitus, pro, duos habitus modos, cum textus Græcus sic habeat, *δύο φαινεται ἑπι τῆς ἐξως Ἰ*, *duo videntur modi habitus esse*:) Vnum rei scientiam, alterum peritiam, *παιδεια*. Peritiam verò esse vim & facultatem bene ac perspicaciter iudicandi, quid rectè aut non rectè doctor tradat. 2. Debere in historia naturæ fines quosdam constitui, quibus explicandi ratio methodusque contineatur. Vt an præstet communia tractare ante particularia, genera ante species, substantias vniuersales ante particulares: vel contra. Et illud quidem aptius videri, III. Causarum principem esse finem, quæ est etiam forma. Vnum enim & idem forma & finis, imò & efficiens esse potest, diuerso respectu, vt de anima asseruit Aristoteles 2. de An. c. 4. Materiam enim esse propter

Animalia variè edus.

Bibuntque modè diuersis.

Summa noni libri.

Quid ruminare, το μυροειδεις.

Summa libri decimi, qui pars est septimi.

οὐκ ἔστιν οὐδὲν

οὐκ ἔστιν οὐδὲν

Mulieres interdum molam proiiciunt.

Summa libri primi Error Geza.

παιδεια

DOCTRINÆ PERIPATETICÆ.

hanc, membra partésque ordine disponi. Sed in materia plus æquo versatos esse veteres, formámque temere neglexisse; quæ tamen potiùs natura est, quàm materia. **IV.** De omni anima differere, Physici munus non esse: quia non omnis anima natura est, nempe intellectiua: neque rem à materia abstractam, vt est intellectus, Naturalis scientia contemplatur. Quòd si intellectum consideraret Physica, eodem iure & intelligibilia cognosceret. Nam quia sensum cognoscit, ideo & de sensilibus agit. Quare Physica vna res omnes, corporeas scilicet & spiritales, sensibiles & intelligibiles cognosceret, quod falsum. Sed intelligendus est hic locus de intellectiua anima, vt spectatur præcisè, & secundùm se abstracta à corpore, & quatenus vitam viuít metaphysicam & spiritalem, non vt forma est corporis humani. Sic enim ad Physicam pertinet. **V.** Causas duas esse, cuius gratia vnam sub qua & forma continentur: alteram, ex necessitate, scilicet materiam: cuius tamen necessitas ex fine sit æstimanda. Est enim securis dura, quia secare debet. **VI.** De vtráque dicendum, sed per finem demonstrandam esse necessitatem: quæ aliàs absoluta est, aliàs cuius gratia, & ex hypothesi: atque hanc esse methodi rationem instituendam. **VII.** Non esse necessum quodlibet genus, vt singulare, in duas differentias distrahi, contra dichotomiam Platonis. Qui enim id faciunt, priuatione diuidunt, vt per impedatum, impennatum; quod non licet. Vbi quædam Logica traduntur de diuidendi ratione & de genere ac specie. **VIII.** Naturales substantias alias ingenitas & incorruptibiles esse, vt cælos; alias mortales & caducas, vt stirpes & animalia. Illas cognitu difficiles, quia pauca de illis sensu percipiuntur, has faciliores, ob familiaritatem & consuetudinem: vtrumque tamen studium esse iucundum: illarum, ob excellentiam rerum cognitarum; licet alioqui leuiter eas attingamus. Plus enim rerum superiorum & cælestium minima cognitione, quàm viliorum & inferiorum vberima comprehensione delectamur: vt fit in amatis puellis, quarum minima corporis parte conspecta plus afficimur, quàm aliis pluribus & maximis: Harum verò, ob copiam scientiæ. Hic parum fidelis est versio Gazæ: sed ad alia propero. **IX.** Nihil in natura esse adeo vile quod aliquid admirandum non habeat. Hoc Heraclitum significasse, qui in casa furnaria Deos etiam esse inuisentibus amicis affirmavit. Naturam agere finis boni honestique gratiâ. Non debere quemquam erubescere in contemplatione aliorum animalium, vt nec in cognitione sui

A corporis, partiumve quibus constat. Eas considerari ratione formæ; vt lateres, lutum, ligna, ratione domus, seu formæ ædium. Supponendum igitur multa multis animalibus esse communia, partim simpliciter, vt pedes, alas, squamas, affectus multos; partim analogicè, & proportionè, vt quid loco pulmonis; quid loco sanguinis. Partes corporis, esse instrumenta actionum animæ. Totum corpus, animæ. Communia primò exponenda, deinde propria.

Secundus liber 17. capitibus constat. **B** Statuitur 1. Tres esse compositiones. Elementorum primam; vt in mixtis. Partium similarium, secundam, quibus animalis natura constat; vt ossis, carnis. Tertiam dissimilarium, vt faciei, manus. **II.** Materiam & generationem forma & essentia, priorem esse tempore; formam verò priorem ratione & dignitate & natura. Primùm enim natura, generatione est vltimum. **III.** Materiam elementorum, esse similarium partium gratia; similes verò partes, gratia dissimilarium, & organicarum: quarum propriæ actiones sunt, non illarum, vt oculi videre. **IV.** Vt actiones, sic partes esse virtutibus diuersas; alias molles, vt carnem; alias duras, vt ossa; alias lentas, rigidas, pro vario fine. Organicas verò pluribus virtutibus esse præditas, pro vario etiam fine. Hinc has ex illis constare, non contra. **V.** Sensum esse in similaribus, & per similes siue simplices; quia sensus ad vnum genus pertinet. Hinc elementis singulis singula sensuum organa tribui: tactum tamen, qui videtur plura genera percipere, in parte minùs simplici esse, vt carne, vel aliquo proportionali corpulentissimo. **VII.** Sensum à similaribus esse. Actionem & motum ab organicis, siue dissimilaribus. **VIII.** Cor partim simplex & simile esse, quia omnia sensibilia excipit, & in partes similes diuiditur, vt alia viscera: partim dissimulare, quia mouet, agit, & certæ est figuræ. **IX.** Viscera omnia esse sanguinea, quia ad meatus venarum posita. **X.** Similarium alias molles, & humidas, vt sanguinem, faniem, adipem, seuum, medullam, semen, lac, carnem: alias duras & solidas, vt os, spinam, neruum, venam. **XI.** Calidum frigidumque dici multis modis, vt siccum & humidum. **XII.** Fibris siue villis quæ animalia prædita non sint, quæ seuum & adipem habeant & medullâ. **XIII.** de Cerebro, catharris, carne, venis, ossibus, cartilagine. Non esse Cerebrum causam principiumque sensus, ipsum non sentire magis quàm excrementum. Sensum esse à corde. Organa sensuum ritè esse disposita, oculos, aures. **XIV.** Aues, quadrupeda, homines, oculos

Summa libri secund.

Compositio triplex.

Sensus est à similaribus, motus à dissimilaribus.

Error Aristotelis de Cerebro & corde.

Cap. 5.

Minima cælestium cognitio iucundior est amplissima inferiorum.

Notatur Gazæ.

habere palpebris tectos, pisces non item. xv. Pilos operimenti gratia datos; supercilia & cilia, adiumenti oculorum. xvi. Nares esse olfaciendi organum in quadrupedibus viuiparis, ac ferè eodem modo esse dispositas, nisi in elephanto: quia elephas nare cibum siccum & humidum capit, eaque arbores vellit, tanquam manu. Labia naribus animalium dentatorum & sanguineorum esse subiecta ad salutem & tutelam dentium: sed homini vni commoda ad sermonem. xvii. Linguam in aliis esse dissimilem, in hominibus verò laram, mollem, absolutissimam, non ad sapores tantum percipiendos, sed ad sermones exprimendos.

Summa libri tertii.

Tertius liber 15. capita habet vbi disertè & explanatè de dentibus, ore, facie, cornibus, collo, gula, arteria, corde, venis, pulmone, iecore, liene, vesica, renibus, septo transuerso, membranis, ventre, intestino, coagulo.

Summa libri quarti.

Quartus 14. capitibus explicat quomodo viscera & ventres sese habeant in diuersis animalibus: cur felle quædam careant: quod sit mesenterii (lactes Latini vocant) Galli *la fraire* & epiploi (omentum Latini nominant, Galli *la crespine*) officium, & ortus. His carere mollia animalia, insecta, testata, crustacea; sed analogia habere. Diuersis hæc animalia partibus constare. Externas animalium viuiparum & sanguineorum partes, ab hominum partibus externis differre. Sanguinea ouipara, partim quadrupeda, partim nullipeda, eorum partes à natura sapienter digestas esse. Aues omnes esse pennatas, differre tamen excessu & defectu partium, magnitudine & paruitate. Pisces imperfectiores esse auibus, quoad partium exteriorum fabricam. Aues quasdam, partim aues, partim quadrupedes referre, vt Struthionem Africum, qui bipes est, vt auis; bisulcus verò & vngulam bipartitam habens, vt quadrupedes; cuius magnitudinem æquat. Ideo enim non volat sublimis, nec pennas gerit volatui idoneas, sed pilis similes.

Libri de Generatione Animalium.

Summa libri primi.

Sunt quinque. Primus capita habet 23. Statuitur ante omnia, esse 4. genera causarum, finem, formam, materiam, efficiens. Quorum cum duo priora finis & forma, quæ sunt idem, de animalibus eorumque partibus fuerint exposita; imò & materia, in doctrina de partibus similibus, & dissimilibus, saltem quoad partes vitæ & indiuiduo necessarias; restat vt de efficiente seu mouente, deque partibus

Ratio ordinis.

A aliis generationi dicatis agatur Generari ergo animalia docet, *ἐκ σπέρματος*, per coitum maris & fœminæ, ea scilicet quæ sexu distinguuntur, suntque sanguinea; & exanguia nonnulla, quæ simile procreant. Alia enim procreant, sed non simile, vt quæ ex terrâ putri & excrementis fiunt: Hæc enim genus diuersum, quod nec mas est, nec fœmina, generant. Animalia verò non gressilia, vt *ὄσπρια*, plantis similia, mare & fœmina non discerni, vt nec plantas, nisi quadam similitudine & analogiâ. Principia generationis esse, *τὸ ἀρσεν, ἔτι τὸ θῆλυ, mater & feminam*; illum quidem tanquam

Mas, vt efficiens, feminam, vt partiens se materia.

B principium motus & generationis habentem; hanc, vt materiam. A mare enim & fœmina prodire genitale semen, ita vt mas quidem in alio, fœmina in se generet. Diuersam ideo esse vtriusque vim, & partes: fœminæ quidem vterum; maris testes, coles, perineos, in sanguineo genere: imò & exanguibus, sexu discretis; licet in omnibus sanguineis partes genitales eodem modo dispositæ non sint. Non habet enim pisces nec serpentes testiculos. sed meatus porosve geminos spermaticos. Habere alia testiculos, sed intus adherentes lumbis ad renes, vt aues & quadrupeda ouipara, respirantia. Quæ animal pariunt, omnia testes habere, *ὡς τὸ ἐμμενῶν θῆρ*, retro, in aduerso, sed alia ad extremum ventrem intus conditos, vt delphinos; nec poros, sed penem protensum habere, vt boues. Alia foris gerere, vel pendulos, vt homines: vel annexos sedi, vt sues. Vteros autem omnes esse bipartitos, vt testes geminos;

D sed in aliis fœminis aliter. Atque vt in ratione cibi voraciora sunt, quæ rectum habent intestinum; sic procliuiora ad venem esse, & coire celerius, quæ vel meatus tantum non testiculos habent; vel testiculos intus. Castiora autem meatus anfractuosos habere; vel testes, qui motum genitalis excrementi faciant stabiliorem, in viuiparis, vt equis, hominibus. Quæ testiculos extra positos habent, non prius semen emittere, quàm eos retraxerint; atque hinc tardiùs coire, quàm quæ testes intra se continent. Membro genitali care-

E re pisces & serpentes: quia eo non egent, cum celeritè coeant. Vteros omnes esse intus ad custodiam fœtus. Meatus excrementi sicci, & humidi, stercoris scilicet & vrinæ, esse diuersos. Animalia crustacea, mollia, testacea & insecta generatione differre, & à se, & à sanguineis. Semen non decidere ex omnibus corporis partibus, esseque excrementum. Hinc animalia maiora, minùs fœcunda; parua, fœcundissima; quia hæc abundant excrementis. Menstrua esse etiam excrementa, eaque emitti à sanguineis animalibus, &

Semen à toto corpore non decidit, estque excrementum.

& suppeditari à fœminâ, vt materiã generationis. Fœminam semen verum non emittere, sed *καταμύηται οὐρανῶν*, menstruosam constitutionem dumtaxat. Habere enim se fœminam instar patientis, marem instar agentis & mouentis: atque adeo maris semen agere, mouere, formare; at fœminam conferre solam materiam non genituram; idcoque marem, quod suum est, in fœminam effundere, & in ea fœtum formari; quia in ea est materia ex quâ quod procreatur, constat. Marem & fœminam distingui in omnibus gressilibus, sed non differre specie. In plantis marem à fœminâ non separari, idcoque se ipsas progenerare feminibus emissis.

Secundus octo constat capitibus. Statuitur. I. Animalium generationem esse ob sempiternitatem, non indiuiduorum sed specierum. II. Marem & fœminam esse in gratiam generationis. III. Marem à fœminâ separari; quia melius est, id quod perfectius est, à deteriori sciungi. IV. Animalium alia edere animal perfectum, vt homines; alia imperfectum: & horum, alia ouum ponere, vt sanguinea, alia vermem, vt exanguia. V. Pisces oua generare putaminis durioris. VI. Semen esse excrementum crassum, album, humidum, calidum, spumosum, aërium, incongelabile. Ideo mentiri Ctesiam Cnidium, aientem elephanti semen siccum durumque esse, vt electrum siue succinum: Et Herodorum dicentem semen Æthiopum esse nigrum: Omne enim semen album est, quia spumosum. Spuma enim alba est, vt in oleo & aquâ mixtis & agitatis videre licet. VII. In feminibus & conceptibus non separatis (error hie est in textu Græco: nam loco *τῆς χλωρῆς*, reponendum *τῆς ἀχλωρῆς*) animam vegetalem esse potentiã. Et conceptus omnes primò viuere vitam plantæ. VIII. Omnes animas ex cap. 3. prius haberi potentiã quàm actu. Hinc colligitur celebre Aristotelis dictum, hominem viuere primo vitam plantæ, deinde animalis, denique hominis. IX. Mentem solam extrinsecus accedere, id est, è corpore non educi, eamque solam esse diuinam; quia nihil cum eius actione comunicat actio corporalis. X. Vt animas, sic corpora nobilitate differre. XI. In semine esse calorem prolificum, eumque non ignem, non talem aliquam esse facultatem, sed spiritum; cuius natura proportionem respondet elemento stellarum, id est, celo. Hinc igne nullum animal generari, sed calore solis & animalium. XII. Fœminam esse marem mutilum & oblatum: muliebri menstruum esse quidem semen, sed non purum. XIII. Principium vitæ esse à mare: neque conceptum fieri, nisi à semi-

A ne masculo, quod mulieris excrementum receperit: quæ cum secundum humiditas suas substantias & corpulentias incaluerunt, consistit & obducitur genitura, similis tunc pulsi refrigeratæ, & crustula obductæ. XIV. Animalia imperfectiora perfectum quidem conceptum, vt ouum, non animal foras mittere. Sola enim perfectiora, vt homines, perfectum animal parere. Tunc verò est perfectum animal, cum conceptus vtero clausus, iam mas est, vel fœmina. XV. Corpus ex fœminâ esse, animam ex mare. Id ex eo constare, quod animalia; quæ ex coitu maris & fœminæ speciei differentis, vt vulpis & canis, perdidicis & gallinæ, generantur, licet primò similitudinem vtriusque parentis referant, progressu tamen temporis, fœminæ formam induant. Misceri porro & coire ea animalia, quæ cum sint naturæ disparis, magnitudine tamen & ætate pæne sunt eadem, & ad vteri gestationem, atque coitum eodem tempore sunt parata. Hic error est in textu Græco qui parenthesis includitur. Delenda enim vox *κωινῆς*, reponendo *κωινῆς*, quod indicat, & sensus, & versio. Non enim de motionibus sermo est, sed de vteri gestatione & conceptionibus: quanquam nec versio placet: *κωινῆς* enim potius conceptionem significat, quàm vteri gestationem. Sed festino ad alia. A fœmina materiam esse & corpus, hoc adhuc testatur, quod semina peregrina sequantur terræ suæ indolem: quia terra quasi fœmina, materiam corpusque seminibus præstat. XVI. Cum menstruum fœminæ excrementum in vtero constitit à maris genitura, fieri vt lactis coagulum, *κωινῆς*. Est enim coagulum lac continens calorem vitalem, quo similia in vnū ducuntur & coguntur. Et lac menstruumque eiusdem naturæ sunt. XVII. Fieri deinde membranas fœtum obuoluentes, *κωινῆς* & *κωινῆς*. XVIII. Cor primum formati: quia principium simularium est & dissimularium: Et ab eo nutritio, sanguis scilicet & venæ, quorum est origo. Quia tamen animal in vtero adhuc est imperfectum, aliunde nutriri: idcoque ipsum vtero & parente, vt terra plantam, vt ad cibum, donec perfectum sit, & gressile. hinc umbilicum, quem *putamen cuticulare*, *κωινῆς* *ἀρτηρίας*, ambit, è venulis in vterum productis à duabus venis, è corde prodeuntibus ortum, fœtui ad nutritionem datum esse. Eius enim venas, quasi radices vterum contingere: per quas alimentum capiat fœtus & incrementum. XIX. Fœminâ, licet animâ habeat, & materiam præbeat generationis, egerè tamen mare: quia mas causa est efficiens animæ sensitivæ, & sine illius coitu aut semine non fit animal, vt in ouis subuentaneis

Corpus est
fœmina,
anima est
mare.

Emendat:
contextus.

Et versio
nes.

Coagulum
genitale.

Cor primò
formatur.

Fœmina
verum semē
non fundit.

In plantis
mas non
separatur à
fœmina.
Summa
libri fœminæ
lib. 1.

in amphid.

Calor ani-
malis, cale-
fit est, non
igneus.

apparet. Quod si animalium genus quoddam extet, quod foemina sit, maremque non habeat discretum, (quod, licet non satis appareat, de rubellionibus tamen, *G. rougis*, fere creditur,) illud certè ex se ipso posse sine maris opera generare. **xx.** Cor esse primum viuens, & vltimum moriens. Gigni interiora prius quam exteriora, sed videri maiora ante minora. Superiora esse ante inferiora. Semina enim prius radices mittere, quam ramos. Ordinem seruari in partium formatione. **xxi.** Foetus in vtero crescere, *ὁ γὰρ τὸν ἐν ὀστέοις ἀποσπῶνται, per umbilici appendicem*, eosdem secundina obuolui. **xxii.** Ex Africà semper aliquid noui, ideo dici, quod diuersae speciei animalia ibi coeant, dum ad aquae riuos, qui ibi sunt perpauci, potandi gratia conueniunt. **xxiii.** Mulorum genus infœcundum esse. Multas esse causas sterilitatis.

Tertius liber vndecim habet capitula. Statuitur 1. animalia Ovipara, coitu maris semen in foeminam emittentis generare, vt aues, pisces. Et aues quidem ouum edere perfectum, dura crusta tectum, nisi morbosum sit. Sed auium oua omnia bicolora: Piscium mollia, & vnicolora. Distingui in ouo principium genitale maris ea parte qua ouum vtero adhæret. Atque ideo fieri dissimile & bicolor, nec exactè rotundum, sed altera parte acutius, & ea parte durius quam inferiore. Principium verò esse in acuta parte. **ii.** Pisces cartilagineos intra se ouum perfectum facere; sed illud ex vno vteri loco, in alium transferre; & mox parere animal, rana excepta. **iii.** Crescere oua piscium foras, vt farinam humore subactam; parte scilicet solida humescente, & humida efflante & spirascente. **iv.** Pisces esse fecundissimos, quia multi moriuntur. **v.** Piscium genus totum oviparum esse, non omnes tamen esse foeminas: coire celerimè. Hinc fabulatum esse Herodotum pisces impleri deuorato spermate & ouis, quod falsum esse constat, ex vulua ouis plena, in quam quod deuoratur, ferri nequit: coquitur enim, quod ventriculum subit. **vi.** Similem errorem esse eorum qui putant & ibi ore coire; mustelam ore parere; hyænam, duplex genitale, maris & foeminae, habere; Trocham etiam, & seipsum inire. **vii.** Ouis auium & piscium marem assequi perfectionem. **viii.** Parere mollia animalia, vt sepias, & crustata, per coitum. **ix.** Oriri insecta partim coitu, partim sponte. **x.** Apum generationem esse ambiguam & difficilem. Putare alios, apes esse mares; fucos, foemellas, alios contra, vtrumque tamen falsum. Vespas, crabrones, generari vt apes; sed in illis, vt in apum genere, nihil diuinum esse.

A ii. Ostracoderma, id est testas habentia, generari partim vt animalia ex semine, partim non ex semine, esseque plantis similia, si cum animalibus conferantur; animalibus, si cum plantis. Gigni ea maximè in mari. Imò & adnasci nauigiis ex putredine. Vère proficere & pinguescere peccines, mitulos, ostreas.

Quartus, decem capita continet. Statuitur primo, marem procreari, cum semen maris vincit, fortiusque est: foeminam, cum vincitur. Tunc enim migrat in contrarium. Contrarium autem maris est foemina. Secundo, foemellas creati nouellatate ac senescente: in illa siquidem, calorem nondum esse perfectum; in hac, deficere. Item humidos, & effoeminatos homines parere foemellas, ob semen humidius & excrementi copiam. Mares autem procreari potius flante borea quam austro. Requirit ad generationem, maris & foeminae symmetriam & commoderationem. Hinc enim alios alii iunctos generare, vel non generare, quod consentiant inter se, vel dissentiant. Tertio, easdem ob causas natos esse parentibus, vel alijs similes aut dissimiles: sed mares patri, matri foeminas similiores; alios nulli consanguineo, sed homini similes; alios ne homini quidem, sed monstro. Esse eos quodammodo monstra, qui parentibus non sint similes: quod ex proprio genere iam deflexerint. Initium primum degenerationis esse foeminam: licet foeminae procreatio necessaria sit ad animalium sexu discretorum conseruationem. Similitudines esse secundum varios feminis motus & deflexiones: ita vt si deflexio à parentibus sit, transeat motus in auos, deinde ab his in speciem hominis; à specie hominis, in genus, scilicet animal; & tunc fieri monstra *τὸ πρῶτον, remanente quod maximè est vniuersale.* Sic puerum, nasci capite arietis, *κρίου,* vel bouis: vitulum, capite pueri; ouem, capite bouis. Quamquam & monstra etiam dicuntur, quæ in sua specie permanentia, eius tamen legem violant, vt si *πλευροπλάκα ἢ πλάτυδα* nascuntur, cum vnuni caput habere debeant, & pedes duos.

E Quarto, monstrorum causam præcipuè ex materia repetendam & conceptionibus. Hinc enim in iis quæ singulos foetus pariunt, raro monstra fieri, sæpe autem in alijs *πλευροπλάκας*, multipatis, vt auibus, quæ & sæpe & multos foetus edunt. Fit enim vt cohaereant conceptus, vt fructus arborum: quod si vitella discreta sine tenui membranula, ex vno ouo gemini pulli orientur; si verò discreta satis non sint, monstrifici prodibunt, corpore, vel capite vno; quaternis cruribus, alis totidem. (Est verò vitellum *λίμνος*, cibus; albumen

Cor primum viuens, vltimum moriens.

Ex Africa aliquid semper noui, cur.

Summa libri tertii.

Summa libri quarti.

Foemellas generant iuniores coniuges; seniores humidiore.

Foemina primum est monstrum.

Causa monstrorum ex materia.